B G

ACTA

REGIÆ SOCIETATIS

MEDICÆ HAUNIENSIS

VOLUMEN I.

ACTA REGIÆ SOCIETATIS MEDICÆ HAUNIENSIS.


NOSOCOMIUM REGIUM FRIDERICIANUM.



VOLUMEN I.

HAUNIÆ
EXCUDEBAT NICOLAUS MÖLLER,
AULÆ TYPOGRAPHUS.
MDCCLXXXIII.





CHRISTIANO
SEPTIMO
PATRIÆ
LITTERARUMQVE
PATRI
SACRUM.

PRÆFAMEN.

SOCIETAS *nostra alterum ætatis suæ decennium jamjam ingrediebatur, nullo offendiculo vel publico vel privato infracta, sed complurium illustrium medicorum accessu ampliata, suffulta & condecorata, tum maxime editis quatuor opusculorum voluminibus, principum in arte virorum adprobationem nactis, sicque, quantum concordia, sollertia & spe*

utilitatis publicæ fieri potest, satis sarta ac tecta.

PRINCEPS *autem Celsissimus*, *FRIDERICUS*, *litterarum æstimator perspicacissimus, salutisque & incrementi earumdem custos vigilantissimus, prætervidere non potuit sodalitium propositi tenax & laboris patiens. Laudavit voluntatem, viribusque robur & incitamentum addere benignissime decrevit. Societatem nostram, dignitatis & prærogativæ notis destitutam cernens, pollentissima sua commendatione facile impetravit a Rege Clementissimo, ut illam splendidissimo, nempe Regiæ, nomine ornaret, potentissimo suo tutamine muniret & leges nova suffragatione sancitas sua auctoritate confirmaret.*

TANTAM

Tantam felicitatem adsecutum nostrum sodalitium, in majorem amplitudinem nunc pergens, ad majores simul conatus incitatum esse, auctoque ardore, & nova quasi aemulatione, rebus medicis fructuose evolvendis operam dare, quis non videt?

Verum enimvero Regis munificentissimi gratia, praesidio, patrocinio ornata, aliunde nullum decus nullamque laudem sibi amplius accedere posse rata, nisi ab increscente vere collaborantium numero, hanc sibi imposuit legem, ut nullum inposterum adgnosceret Collegam, quin ad communem scopum obtinendum suum contulerit. Nullum itaque alium sociorum, sive honorariorum, sive correspondentium, sive ordinariorum catalogum actis suis

adiiciet, quam ipsum Opusculorum oblatorum elenchum. Cuicunque clarissimo Viro in nostram consortionem jam accepto, vel ipsi aliquando accessuro, placuerit, sui mentionem in Actis nostris fieri, seque Collegam pronunciari; nobiscum communicet, rogamus, quod publicae utilitati inservire queat.





ELEN-

ELENCHUS.

BUCH-

ELENCHUS.

AASKOW

ELENCHUS.

BUCH-

ELENCHUS.

AASKOW

ELENCHUS.

RETZII

ELENCHUS.



SELECTA

ACTA
REGIAE SOCIETATIS MEDICAE HAVNIENSIS.

I.

SELECTA DIARII NOSOCOMII FRIDERICIANI pro An. 1781.

Auctore FRIDERICO LUDOVICO BANG,
M. D. & Prof. Des. Nosoc. Fridr. Med. Ord.

Hoc titulo comprehendo decursus & exempla morborum in nosocomio nostro obvia & præ reliquis mentione digna; quod utile vel rarum mihi videtur, extrahere & proferre conabor, toedioſam fugio prolixitatem; constitutiones & mutationes aeris cuilibet mensi apponere obſervationem potius physicam quam utilem medicam censeo & ſcopo meo alienam habeo,

ELENCHUS.



SELECTA

ACTA
REGIAE SOCIETATIS
MEDICAE HAVNIENSIS.

I.

SELECTA DIARII NOSOCOMII FRIDERICIANI pro An. 1781.

Auctore FRIDERICO LUDOVICO BANG,
M. D. & Prof. Des. Nosoc. Fridr. Med. Ord.

Hoc titulo comprehendo decursus & exempla morborum in nosocomio nostro obvia & præ reliquis mentione digna; quod utile vel rarum mihi videtur, extrahere & proferre conabor, toediosam fugio prolixitatem; constitutiones & mutationes aeris cuilibet mensi apponere observationem potius physicam quam utilem medicam censeo & scopo meo alienam habeo,

paucissimis, dummodo sufficiunt, verbis utor in describendis historiis; practicis perraro theorias intermisceo; distinctiones morborum multiplices novas sæpe falsas & fallentes malo evitare quam stabilire. Deprecor ideo comparationem hujus limitati opusculi cum magnis operibus magnorum virorum *Sydanhami*, *Huxhami*, *Haenii*, *Störkii*, *Stollii*. Celebrium nomen propriæ infirmitatis nimis gnarus haud appeto; mihi sufficit non contemni, hasque pagellas loco inter scripta societatis nostræ haud indignas æstimari, cujus voti completio ad continuationem incepti me potissimum exhortabitur.

Mensis Januarius.

Febres communissime occurrentes tamen haud numerosæ catarrhalis erant indolis, mox fauces quam maxime, mox pectus infestantes nonnunquam cum vera inflammatione tamen adeo benigna, ut nemo ægrotantium non sanatus fuerit; putrida rarior in duobos exemplis lethalis.

Vertigo inveterata in homine spirituosis admodum dedito variis evacuantibus, derivantibus tem-

temperantibus remediis frustra tentata per seta-ceum nuchæ diu suppurans fere sublata fuit.

EPILEPSIA raro occurrente quadriennio laboravit puer, paroxysmi sc. incipiebant semper a dolore & motu involuntario digitorum manus dextræ præsertim pollicis, cujus musculi magnitudine longe superabant musculos alterius pollicis; a dicto dolenti loco æger sentiit auram frigidam per brachium versus caput ascendentem & mox conscientiam sui ipsius perdidit; aliquot hebdomadibus permansit in nosocomio usus oleo animali Dippelii absque reventu morbi.

SECTIO.

VOMITU hæctico jam semestri vexatus vir 32 annorum die quarto Januarii in nosocomio susceptus fuit; morbum retulit surrexisse post haustum spirituosum valde amarum, quo fluxum alvi sanguineum cohibuerat, pyrosin querebatur continuam, ructus frequentes, dolorem cardiæ & hypochondrii dextri ab omnibus ingestis s. solidis s. fluidis orientem & pergentem, donec per vomitum una alterave post ingestionem hora deglutita rejecisset; corpus interea indies contabe-

ſcebat. Emollientia remedia intus & extus propinata, cicutæ extractum, enemata nutrientia nil omnino ægrotum levarunt aut juvarunt; morbo apud nos progredienti jungebantur ſitis enormis, continua alvi obſtipatio, intolerantia omnis ingeſti præter meram aquam frigidam, quam tamen mox ingeſtam evomere cogebatur, nec non ſumma debilitas, ſub quibus die 17 Februarii exſpiravit.

In aperto cadaveris abdomiue omentum macilentum admodum longum in pelvim dependens invenimus, inteſtina omnia præſertim craſſa valde contracta; ventriculus erat dilatatus, paſſim inflammatus, ejusdemque extremitas inferior & pylorus ad longitudinem trium pollicum calloſitatem & craſſitiem habuit notabilem, vi cujus parietes intus ſeſe immediate contingebant & coaliti erant, adeo ut nullus tranſitus per hoc orificium poſſibilis fuerit.

Februarius.

Febrium plurimæ erant pleuritides ſimplices benignæ, ideoque omnes excepto unico ſero nimis ad

ad nos translato sanatæ. Putridæ nonnullæ partim gastricæ cum minore debilitate cito & solis evacuantibus emetico & dein eccoproticis acidis mox mitigatæ & prorsus sanatæ, partim nervosæ cum summa depressione virium, evacuantibus nihil v. parum mitescentes, diu durantes & difficulter per longum corticis peruviani usum curabiles.

Hepatalgia sat frequens apud pauperes morbus sine dubio ob victum crudum & abusum spiritus frumenti forsan mentionem meretur.

Femina dolore cardiæ & hypocondrii dextri constanti attactum externum haud toleranti, post ingesta exacerbato nec non alvo segni diu vexata brevi tamen tempore sanabatur simplici sed in hoc casu efficaci remedio sc. tinctura rhei aquosa cum solutione tartari tartarisati atque inunctione frequenti olei volatilis in loco dolenti, evanescenti morbo successit febris quotidiana facili negotio fugata.

Altera diutius eodem morbo sed graviori cum vomitu frequenti ingestorum & emaciatione corporis laborans allatis remediis quam maxime levata fuit, & additis dein pillulis e sapone &

gummi ammoniaco confectis sanata tamen cum insequentibus, ut in prægresso casu motibus febrilibus frigore & cephalalgia aliquot dierum.

Pluries ut in his exemplis transitum vidi obstructionis hepatis in febrem intermittentem & vice versa, quod me judice argumentum originis harum febrium in hepate continet. Tertia eadem affectione hepatis sed simul tumore hydropico extremitatum & faciei vexata etiam mixtura rhabarbari laudata, sumta simul mane & vespera drachma dimidia cremoris tartari solubilis sanabatur.

Hydrops cum diarrhoea inter morbos curatu difficillimos locum habet, utpote diuretica appropriata hydropi medicamina stimulo suo alvum laxam adhuc magis commovent, itaque sine effectu & juvamine efferuntur; hac ratione & simul experientia multiplici nixus fere condemnavi feminam circiter quadragenariam semestri spatio anasarca, ascite, diarrhoea afflictam, porrecta tamen tinctura rhei aquosa ad gt. 60 trihorio contra exspectationem alvi fluxum sedabat, diuresin augebat & solum cum infuso juniperino sub decremento morbi sumto mensis spatio ægrotam sanavit.

Hydro-

HYDROPICA altera tota hyeme in nofocomio decubuit fimul figna obftructionis, hepatis dolorem & intumefcentiam cardiæ atque hypochondrii dextri, faciemque pallidam flavefcentem habens, quæcunque remedia etiam tinctura rhei alvum adeo laxabant, ut omnibus fepofitis ex increfcente hydrope totius corporis nil præter certam mortem concludere potuerim; verno tamen tempore ultimum feci experimentum cum fuccis recentibus Herbarum taraxaci, bardanæ &c. fub quorum ufu alvi fluxus inhibitus fuit, diurefis vero increfcebat fenfimque e lecto, morbo & morte eripiebatur ægrota; notandum eft, omnia fcorbuti figna in cafu noftro abfuiffe.

VIX ideo ulla prognofeos regula fine exceptione eft præfertim in prænuntianda morte, nam cafus centies non curatus tamen femel omnia tentando curabilis fit.

MARTIUS

FEBRES regnantes ut in prægreffo menfe erant inflammatoriæ pectoris, qualis morbus in uno exemplo tranfiit in dolores artuum, apud alterum

in phrenitidem, quæ tamen ſanguiſugio hirudinum temporali, camphora, moſcho, veſicatoriis brachiorum quatriduo ſanata fuit. Quidam per ſpiritum frumenti cum pipere, quem ad febrem intermittentem fugandam ingeſſerat, peripneumoniam ſibi contraxit lethalem. Putridæ raræ, quarum una lethalis fuit ob metaſtaſin ad pectus, ubi collectum pus denſiſſimum, adhibitis licet optimis expectorantibus, ægrotum jugulavit. In altero ob arthritidem apud nos decumbente ſubito oriebatur pemphigos, maligna a Sauvage merito dicenda, cum tumore oedematoſo totius corporis puſtulis magnis ubique diſperſis ſero puriformi repletis; delirio continuo, ſudore profuſo, excrementis involuntariis & eventu intra triduum funeſto.

Intermittentes nonnullæ tertianæ, quo referri debet cardialgia regulariter periodica, quæ vomitum inflammatorium partim ſanguineum ſequebatur, decocto corticis peruviani ſanata.

Enteritide, ut ita dicam, chronica bimeſtri laboravit femina cum expanſione notabili doloroſa abdominis, ſiti pulſu febrili, quæque venæſectione duplici, mixtura camphorata, diligenti

ligenti inunctione olei volatilis in abdomine sat brevi tempore curabatur.

Ischiade lateris dextri gravi & notabili afflicta erat puella per tres circiter hebdomades, femur duplo majus altero erat, motus & somnus impediti, in inguine lata & insignis durities tangebatur; duobus mensibus indurato loco cataplasma emolliens applicitum fuit cum aliquali sed imperfecto levamine doloris, simul ideo emplastrum e cicuta in usum trahebatur, cum insuper posito cataplasmate atque intus exhibita fuit solutio gummi ammoniaci, tribus posthac hebdomadibus parvus inguinis abscessus ortus ruptusque fuit, nihilominus restitit non modica durities inguinis cum tumore & immobilitate femoris, quæ tamen sub laudata medela adhuc bimestri spatio continuata prorsus sublata fuerunt.

Topicis in casu nostro adhibitis præsertim felix illius eventus adscribendus est, quod in pluribus similibus exemplis expertus sum, ubi dolor partim cum tumore partim absque illo constans & ad omnia alia remedia immobilis in parte quadam hæsit.

APRILIS.

FEBRILES morbi complures, tertianæ, quotidianæ, catarrhales, paucæ putridæ, quarum una ob adjunctam inflammationem abdominis lethalis fuit, grassantis nomen merebatur pleuritis quandoque sat gravis, expectoratione generatim soluta, qua non bene procedente valde profuit granum kermis mineralis bihorio exhibitum, cui, si vel insignis debilitas v. spasmodica violentia tussis ægrotum molestarent, utiliter granum moschi apposui, in duobus exemplis devicta febre restitit dyspnoea notabilis, quæ curata fuit pillulis resolventibus e gummi ammoniaco, extracto cicutæ & floribus sulphuris paratis.

SCABIE in viro sponte retrogressa, surrexit singulare deglutitionis impedimentum sc. obstaculum in pectore sinistro prope medium sternum, quousque adducta alimenta vix amplius descendere potuerunt, sensim hoc malum adeo increvit, ut tantum liquida sub decubitu in latere dextro deglutire valeret, pulsus erat durus, venæsectio frequens, vesicatorium loco affecto applicitum, nullius fere efficaciæ erant, hinc resolventes pillulæ

mox

mox laudatæ e gummi ammoniaco, extracto cicutæ floribus ſulphuris, nec non ſucci recentes herbarum & fonticulus affecto pectori applicabantur, ſub quibus ſcabies largiter efflorefcebat & deglutitio magis magisque reſtituta fuit.

Diabete fere trimeſtri laboravit adoleſcens cum obſtructione alvi nunquam ſine remediis fluentis, ſiccitate, rubedine & aphtoſo aſpectu faucium, indeque deglutitione moleſta, proſtrato appetitu, contabeſcentia corporis gingyvis tumidis ſanguineis, rigiditate aliquali genuum, tumore levi crurum tamen non maculato; ſuccis recentibus herbarum antiſcorbuticis nec non ſucco citri menſis ſpatio adhibitis, omnia ſymptomata ſenſim evanuerunt, excepta nonnulla debilitate, quæ decocto chinæ acido brevi ſanabatur.

Combinatio ſymptomatum ſcorbuti & curatio per remedia antiſcorbutica mihi permittunt hanc diabetis ſpeciem ſcorbuticam ſtatuere & nominare, ſimulque practicos monent inquirere ſigna ſcorbuti, dum occurrit diabetes.

Hydropem univerſalem jam undecim hebdomadibus durantem cum cardialgia, diarrhoea,

dyſpnoea,

dyſpnoea, tuſſi, expanſione notabili tamen non fluctuante abdominis ſub miſerrima diæta ſibi contraxerat & adauxerat femina. Exhibitis tinctura rhei aquoſa & infuſo e baccis juniperi atque herba abſinthi, fluxus alvi ſedabatur & reliqua ſymptomata miteſcebant, excepto tumore, qui cum diureſi parca remanſit, hinc loco tincturæ rhei dedi cremorem tartari ſolubilem, cujus uſus duobus menſibus continuatus mox alvum laxando, mox diureſin augendo morbum inſigniter diminuit atque demum reſtitutionem complevit ſub accedente ſudore repetito univerſali & quod notabile fuit, ſub ſpontaneo effuxu ſeri non modo e cruribus ſed ſimul variis aliis corporis partibus ſc. papillis mammarum & retro aures.

SECTIONES.

FEMINA 55 annorum integro circiter anno poſt apoplexiam laborabat hemicrania & debilitate paralytica extremitatum lateris ſiniſtri & demum prægreſſis per aliquot dies ſummo ſtupore, delirio, aphonia moriebatur.

IN aperto cranio inveni ſub bregmate dextro duram matrem craſſam calloſam rubeſcentem & infra

infra eandem in hemiſphærio ejusdem lateris tres abſceſſus, ſingulos ad magnitudinem ovi columbini, intus pure denſo repletos, vaſa piæ matris ſanguine valde turgeſcebant, & ventriculus lateralis ſiniſter inſignem ſeri copiam continebat.

VIR 40 annorum miſere cruciatus per duos menſes dolore vago artuum, abdominis & præſertim capitis adeo immani, ut ſecum duxerit ſpaſmos faciei & oculi ſiniſtri, ſuſurrum capitis & lipothymiam, ſubito exſpiravit.

DISSECTO cadaveris cranio in ventriculis cerebri præſertim ſiniſtro & in baſi cranii largum invenimus ſerum, in abdomine notabilis aderat copia ſeri purulenti partim condenſati, mediante quo fere omnia inteſtina valde expanſa cum ſe invicem conglutinabantur, nullibi tamen inflammationem aut fontem ſuppurationis detegere potuimus.

FEMINA 36 annorum tribus menſibus afflicta fuit gaſtrodynia, vomitu frequenti præſertim ingeſtorum cephalalgia enormi continua; ultimo menſe ſymptomata hæc aggravata erant, oculi grandeſcebant quaſi e capite protruſi cum pupilla

dilatata

dilatata & occoecata, auditus fiebat difficilis, caput magis magisque dolens erectionem motumque prorſus non tolerabat, delirans aut muta jacuit cum ſumma inquietudine, inſomnia perpetua, alvo ſemper ſegni, urina clara naturali, ſingultu demum & epilepticis motibus aliquoties reverſis, ſub quibus exſpiravit.

Perlustrato demortuæ cranio invenimus duo oſſicula marginibus & apice utroque acutis in ſuperficie interna duræ matris prope ſinum longitudinalem affixa, in ventriculo dextro ſerum nonnullum ſanguineum; in abdomine omnia viſcera quodammodo ſana, excepto hepate, cujus ſuperficies concava atro-rubrum colorem habuit, veſica fellea volumen & longitudinem digiti habuit cum tunicis valde craſſis & calloſis, intra quas continebantur quatuor calculi ſat magni, ſibi invicem appoſiti & exacte reſpondentes, totumque veſicæ ſpatium implentes, muco denſo albo circumdati absque ullo veſtigio bilis.

Majus.

MAJUS.

FEBRES nec multæ nec unius generis præ altero sæviebant, sed earundem numerum æqualiter fere dividebant intermittentes pleuriticæ, rheumaticæ, bilioso-putridæ, in nonnullis etiam nexum febrium diversæ naturæ aut simultaneum aut successivum observavi, sc. transitum continuæ in intermittentem, pleuriticæ in rheumaticam, vel hujus alterutrius combinationem cum biliosa putrida, in quanam complicatione mox venæsectioni mox emetico primum dedi locum, prouti symptomata inflammationis minus magisve mihi prævalere videbantur.

DEMENTIAM 5 hebdomadum post puerperium ortam cum reliqua sanitate illæsa oppugnavi per hirudines temporales, vesicatorium nuchæ purgantia drastica, brevi posthæc surrexit tumor hydropicus crurum & dein totius corporis, sub quo sensim rediit debitus rationis usus; facili negotio hydropem dispellebant cremor tartari & pillulæ scilliticæ absque reventu vesaniæ.

PHTISEOS initia cum tussi, sputo mucoso, dolore vago pectoris, dyspnoea, anorexia, con-

sumtione

gummi ammoniaco confectis sanata tamen cum insequentibus, ut in prægresso casu motibus febrilibus frigore & cephalalgia aliquot dierum.

Pluries ut in his exemplis transitum vidi obstructionis hepatis in febrem intermittentem & vice versa, quod me judice argumentum originis harum febrium in hepate continet. Tertia eadem affectione hepatis sed simul tumore hydropico extremitatum & faciei vexata etiam mixtura rhabarbari laudata, sumta simul mane & vespera drachma dimidia cremoris tartari solubilis sanabatur.

Hydrops cum diarrhoea inter morbos curatu difficillimos locum habet, utpote diuretica appropriata hydropi medicamina stimulo suo alvum laxam adhuc magis commovent, itaque sine effectu & juvamine efferuntur; hac ratione & simul experientia multiplici nixus fere condemnavi feminam circiter quadragenariam semestri spatio anasarca, ascite, diarrhoea afflictam, porrecta tamen tinctura rhei aquosa ad gt. 60 trihorio contra exspectationem alvi fluxum sedabat, diuresin augebat & solum cum infuso juniperino sub decremento morbi sumto mensis spatio ægrotam sanavit.

Hydro-

Hydropica altera tota hyeme in nosocomio decubuit simul signa obstructionis, hepatis dolorem & intumescentiam cardiæ atque hypochondrii dextri, faciemque pallidam flavescentem habens, quæcunque remedia etiam tinctura rhei alvum adeo laxabant, ut omnibus sepositis ex increscente hydrope totius corporis nil præter certam mortem concludere potuerim; verno tamen tempore ultimum feci experimentum cum succis recentibus Herbarum taraxaci, bardanæ &c. sub quorum usu alvi fluxus inhibitus fuit, diuresis vero increscebat sensimque e lecto, morbo & morte eripiebatur ægrota; notandum est, omnia scorbuti signa in casu nostro absfuisse.

Vix ideo ulla prognoseos regula sine exceptione est præsertim in prænuntianda morte; nam casus centies non curatus tamen semel omnia tentando curabilis fit.

Martius

Febres regnantes ut in prægresso mense erant inflammatoriæ pectoris, qualis morbus in uno exemplo transiit in dolores artuum, apud alterum

in phrenitidem, quæ tamen ſanguiſugio hirudinum temporali, camphora, moſcho, veſicatoriis brachiorum quatriduo ſanata fuit. Quidam per ſpiritum frumenti cum pipere, quem ad febrem intermittentem fugandam ingeſſerat, peripneumoniam ſibi contraxit lethalem. Putridæ raræ, quarum una lethalis fuit ob metaſtaſin ad pectus, ubi collectum pus denſiſſimum, adhibitis licet optimis expectorantibus, ægrotum jugulavit. In altero ob arthritidem apud nos decumbente ſubito oriebatur pemphigos, maligna a Sauvage merito dicenda, cum tumore oedematoſo totius corporis puſtulis magnis ubique diſperſis ſero puriformi repletis; delirio continuo, ſudore profuſo, excrementis involuntariis & eventu intra triduum funeſto.

Intermittentes nonnullæ tertianæ, quo referri debet cardialgia regulariter periodica, quæ vomitum inflammatorium partim ſanguineum ſequebatur, decocto corticis peruviani ſanata.

Enteritide, ut ita dicam, chronica bimeſtri laboravit femina cum expanſione notabili doloroſa abdominis, ſiti pulſu febrili, quæque venæſectione duplici, mixtura camphorata, diligenti

ligenti inunctione olei volatilis in abdomine sat brevi tempore curabatur.

ISCHIADE lateris dextri gravi & notabili afflicta erat puella per tres circiter hebdomades, femur duplo majus altero erat, motus & somnus impediti, in inguine lata & insignis durities tangebatur; duobus mensibus indurato loco cataplasma emolliens applicitum fuit cum aliquali sed imperfecto levamine doloris, simul ideo emplastrum e cicuta in usum trahebatur, cum insuper posito cataplasmate atque intus exhibita fuit solutio gummi ammoniaci, tribus posthac hebdomadibus parvus inguinis abscessus ortus ruptusque fuit, nihilominus restitit non modica durities inguinis cum tumore & immobilitate femoris, quæ tamen sub laudata medela adhuc bimestri spatio continuata prorsus sublata fuerunt.

TOPICIS in casu nostro adhibitis præsertim felix illius eventus adscribendus est, quod in pluribus similibus exemplis expertus sum, ubi dolor partim cum tumore partim absque illo constans & ad omnia alia remedia immobilis in parte quadam hæsit.

APRILIS.

FEBRILES morbi complures, tertianæ, quotidianæ, catarrhales, paucæ putridæ, quarum una ob adjunctam inflammationem abdominis lethalis fuit, grassantis nomen merebatur pleuritis quandoque sat gravis, expectoratione generatim soluta, qua non bene procedente valde profuit granum kermis mineralis bihorio exhibitum, cui, si vel insignis debilitas v. spasmodica violentia tussis ægrotum molestarent, utiliter granum moschi apposui, in duobus exemplis devicta febre restitit dyspnoea notabilis, quæ curata fuit pillulis resolventibus e gummi ammoniaco, extracto cicutæ & floribus sulphuris paratis.

SCABIE in viro sponte retrogressa, surrexit singulare deglutitionis impedimentum sc. obstaculum in pectore sinistro prope medium sternum, quousque adducta alimenta vix amplius descendere potuerunt, sensim hoc malum adeo increvit, ut tantum liquida sub decubitu in latere dextro deglutire valeret, pulsus erat durus, venæsectio frequens, vesicatorium loco affecto applicitum, nullius fere efficaciæ erant, hinc resolventes pillulæ

mox

mox laudatæ e gummi ammoniaco, extracto cicutæ floribus fulphuris, nec non fucci recentes herbarum & fonticulus affecto pectori applicabantur, fub quibus fcabies largiter efflorefcebat & deglutitio magis magisque reftituta fuit.

Diabete fere trimeftri laboravit adolefcens cum obftructione alvi nunquam fine remediis fluentis, ficcitate, rubedine & aphtofo afpectu faucium, indeque deglutitione molefta, proftrato appetitu, contabefcentia corporis gingyvis tumidis fanguineis, rigiditate aliquali genuum, tumore levi crurum tamen non maculato; fuccis recentibus herbarum antifcorbuticis nec non fucco citri menfis fpatio adhibitis, omnia fymptomata fenfim evanuerunt, excepta nonnulla debilitate, quæ decocto chinæ acido brevi fanabatur.

Combinatio fymptomatum fcorbuti & curatio per remedia antifcorbutica mihi permittunt hanc diabetis fpeciem fcorbuticam ftatuere & nominare, fimulque practicos monent inquirere figna fcorbuti, dum occurrit diabetes.

Hydropem univerfalem jam undecim hebdomadibus durantem cum cardialgia, diarrhoea,

dyfpnoea,

dyſpnoea, tuſſi, expanſione notabili tamen non fluctuante abdominis ſub miſerrima diæta ſibi contraxerat & adauxerat femina. Exhibitis tinctura rhei aquoſa & infuſo e baccis juniperi atque herba abſinthi, fluxus alvi ſedabatur & reliqua ſymptomata miteſcebant, excepto tumore, qui cum diureſi parca remanſit, hinc loco tincturæ rhei dedi cremorem tartari ſolubilem, cujus uſus duobus menſibus continuatus mox alvum laxando, mox diureſin augendo morbum inſigniter diminuit atque demum reſtitutionem complevit ſub accedente ſudore repetito univerſali & quod notabile fuit, ſub ſpontaneo effuxu ſeri non modo e cruribus ſed ſimul variis aliis corporis partibus ſc. papillis mammarum & retro aures.

SECTIONES.

FEMINA 55 annorum integro circiter anno poſt apoplexiam laborabat hemicrania & debilitate paralytica extremitatum lateris ſiniſtri & demum prægreſſis per aliquot dies ſummo ſtupore, delirio, aphonia moriebatur.

IN aperto cranio inveni ſub bregmate dextro duram matrem craſſam calloſam rubeſcentem & infra

infra eandem in hemiſphærio ejusdem lateris tres abſceſſus, ſingulos ad magnitudinem ovi columbini, intus pure denſo repletos, vaſa piæ matris ſanguine valde turgeſcebant, & ventriculus lateralis ſiniſter inſignem ſeri copiam continebat.

Vir 40 annorum miſere cruciatus per duos menſes dolore vago artuum, abdominis & præſertim capitis adeo immani, ut ſecum duxerit ſpaſmos faciei & oculi ſiniſtri, ſuſurrum capitis & lipothymiam, ſubito exſpiravit.

Dissecto cadaveris cranio in ventriculis cerebri præſertim ſiniſtro & in baſi cranii largum invenimus ſerum, in abdomine notabilis aderat copia ſeri purulenti partim condenſati, mediante quo fere omnia inteſtina valde expanſa cum ſe invicem conglutinabantur, nullibi tamen inflammationem aut fontem ſuppurationis detegere potuimus.

Femina 36 annorum tribus menſibus afflicta fuit gaſtrodynia, vomitu frequenti præſertim ingeſtorum cephalalgia enormi continua; ultimo menſe ſymptomata hæc aggravata erant, oculi grandeſcebant quaſi e capite protruſi cum pupilla

dilatata

dilatata & occoecata, auditus fiebat difficilis, caput magis magisque dolens erectionem motumque prorſus non tolerabat, delirans aut muta jacuit cum ſumma inquietudine, inſomnia perpetua, alvo ſemper ſegni, urina clara naturali, ſingultu demum & epilepticis motibus aliquoties reverſis, ſub quibus exſpiravit.

Perlustrato demortuæ cranio invenimus duo oſſicula marginibus & apice utroque acutis in ſuperficie interna duræ matris prope ſinum longitudinalem affixa, in ventriculo dextro ſerum nonnullum ſanguineum; in abdomine omnia viſcera quodammodo ſana, excepto hepate, cujus ſuperficies concava atro-rubrum colorem habuit, veſica fellea volumen & longitudinem digiti habuit cum tunicis valde craſſis & calloſis, intra quas continebantur quatuor calculi ſat magni, ſibi invicem appoſiti & exacte reſpondentes, totumque veſicæ ſpatium implentes, muco denſo albo circumdati absque ullo veſtigio bilis.

Majus.

MAJUS.

FEBRES nec multæ nec unius generis præ altero fæviebant, fed earundem numerum æqualiter fere dividebant intermittentes pleuriticæ, rheumaticæ, biliofo-putridæ, in nonnullis etiam nexum febrium diverfæ naturæ aut fimultaneum aut fucceffivum obfervavi, fc. tranfitum continuæ in intermittentem, pleuriticæ in rheumaticam, vel hujus alterutrius combinationem cum biliofa putrida, in quanam complicatione mox venæfectioni mox emetico primum dedi locum, prouti fymptomata inflammationis minus magisve mihi prævalere videbantur.

DEMENTIAM 5 hebdomadum poft puerperium ortam cum reliqua fanitate illæfa oppugnavi per hirudines temporales, veficatorium nuchæ purgantia draftica, brevi pofthæc furrexit tumor hydropicus crurum & dein totius corporis, fub quo fenfim rediit debitus rationis ufus; facili negotio hydropem difpellebant cremor tartari & pillulæ fcilliticæ absque reventu vefaniæ.

PHTISEOS initia cum tuffi, fputo mucofo, dolore vago pectoris, dyfpnoea, anorexia, con-

fumtione

ſumtione corporis & virium, raucedine, quibus quadragenarius dimidio anno afflictus fuit, feliciter evanuerunt ſub accedente febre quotidiana poſt ſeptem vices per corticem ſanata.

Hydrops poſt ſigna hepatitidis virum ſexagenarium corripuit, atque brevi tempore mire increvit cum tumore extremitatum inferiorum ſcroti & faciei nec non tuſſi ſicca, dyſpnoea moleſta decubitum horizontalem impediente; cremore tartari ſolubili, pillulis ſcilliticis & ſcarificatione partium inferiorum morbus notabiliter imminutus fuit, improviſo autem recurrebat cum tanta dyſpnoea, ut æger tantum in ſitu erecto & corpus antrorſum flectendo ſufficientem pro evitanda ſuffocatione aerem haurire potuerit; kermes nullum levamen præſtitit, ideoque emulſio gummi ammoniaci cum oxymelle ſcillitico porrecta fuit ad cochlearia duo majora omni hora; alvus exinde cum levamine initio admodum laxabatur, poſtea minus, ſed urinæ fluxus increſcebat, ſenſimque dyſpnoea absque ulla expectoratione & reliquus morbus diminuebantur, atque ſex hebdomadum ſpatio plenaria redibat ſanitas.

Vix

Vix dubito, hunc morbum hydrothoracem fuisse, quamvis illa a plurimis incurabilis statuatur.

Tinea in femina 40 annorum consolidata oriebatur status valetudinarius, cum ad nos venerit ægrota, trimestris cum dolore fixo pectoris dextri, tussi, dyspnoea, cephalalgia, vertigine, oedemate crurum & femorum, facie inflata pallido-flavescente alvoque parum laxa; emulsione camphorata & vesicatorio affecto pectori hujus dolor fugatus & alvi dejectio in naturalem conversa fuit, reliqua cura præsertim scilliticis completa fuit.

Hanc pleurodyne speciem a retrogressis præsertim hic annotavi, quia illustris Sauvage illius mentionem non fecit.

Sectiones.

Puella 34 annorum quinque mensibus laborabat defectu mensium, tussi v. sicca v. cum sputo aquoso, dyspnoea, quæ indies increvit & præsertim sub situ horizontali v. in latere sinistro summam inquietudinem, anxietatem & insomniam intulit, mira quoque & enormis adfuit pal-

pitatio cordis cum pulsatione arteriarum forti & dura, nullus accessit extremitatum tumor, ultimis morbi diebus frequenti lipothymia cum motibus convulsivis affligebatur, omnis somnus abfuit excepta proxima ante mortem nocte, qua integra ob porrectum laudanum quiete dormivit.

Dissecti pectoris utraque cavitas largissimam seri copiam continebat præsertim tamen dextra, cor insignis magnitudinis & capacitatis erat, maximam vero attentionem merebatur curvatura aortæ, quæ enormiter expansa & substantiæ duræ cartilaginosæ erat.

Palpitatio enormis sine dubio adscribenda est callositati, indeque nimiæ resistentiæ aortæ, ob quam ictus cordis vehementior & frequentior ad motum sanguinis promovendum citatus & requisitus fuit.

Puella dolore cardiæ, abdominis, vomitu frequenti alvo segni, frigore cum æstu alternante cephalalgia, vertigine afflicta subito vigesimo secundo morbi die per anum dejecit largissimam grumosam sanguinis valde foetentis copiam,

quæ-

quænam dejectio tribus diebus durabat & per mortem finiebatur.

Aperto cadaveris abdomine intestinum colon valde expansum erat, circa omentum minus nonnullus sanguis extravasatus reperiebatur, superficies concava hepatis colorem atro-lividum habuit, mesenterium prorsus inflammatum.

Junius.

Febres bilioso-putridæ regnabant, diversi tamen gradus & moris, paucæ leviores emetico & cremore tartari brevi curabantur, plures diuturnæ graves ad 14, 28 imo 42 diem durantes cum magna debilitate, deliriis, quandoque petechiis, hæmorrhagis narium imo pectoris tussi, ut plurimum diarrhoea modica levatoria; non paucæ catarrhalis putridæ nomen merebantur, quippe quæ compositæ erant e symptomatibus putridis primarum viarum & affectione molesta pectoris sc. dolore oppressorio v. punctorio, debilitate insigni post venæsectionem increscente, tussi atque sputo sub morbi declinatione purulento vere judicatorio, quanam apparente crisi decoctum e cortice peru-

 viano

viano cum radice fenecæ præfertim utile fuit. Duo hac febre ægrotantium obierunt, quorum unius hiftoria mihi memorabilis videtur: Hicce vir ad nos ductus quinque diebus laboraverat febre rheumatica initio cum dolore punctorio pectoris dextri, qui fponte tranfierat in dolorem humeri dextri & crurum imprimis genu finiftri, alvus fub morbo claufa erat & fapor amarus; alvus mox largiter clyfmate folvebatur, e vena fanguis denfus cum crufta gelatinofa educebatur, pulvis e cremore tartari nitro & champhora propinatus fuit & veficatoria furis applicita, infequenti f. fexta morbi nocte alvus fæpiffime fluxit, proximaque mane omnem artuum dolorem evanuiffe, & delirium furrexiffe comperi, quare loco pulveris emulfionem camphoratam & veficatoria brachiis applicui; 7mo die alvi fluxus fedabatur, fed delirium cum fumma debilitate adfuit, quapropter Decoctum corticis peruviani alternatim cum mixtura camphorata exhibui. 8vo die allatis jungebantur tremor artuum nec non paffim in corpore tumores minores v. majores quidam ad magnitudinem ovi columbini indolentes cuti con-

colores

colores reliquis remediis moschum adjunxi. 9no die accesserunt petechiæ cum furunculis lividis passim in corpore dispersis, excrementa liquida involuntaria, sudor frigidus & ipsa mors.

Hepatalgia unius circiter anni laboravit vir 37 annorum cum tumore cardiæ insigniter lato & duro, corpore emaciato, alvo segni vomitu frequenti, sub quo ante aliquot hebdomades materiam largam puriformem ejecerat; resolventia mitiora, ne ventriculus nimis ad vomitum citaretur, elegi, sc. tincturam rhei aquosam cum solutione tartari tartarisati, serum lactis & extus emplastrum e cicuta cum ammoniaco cardiæ tumenti applicandum cum insuper posito cataplasmate emolliente, duo præteribant menses, antequam curatio admodum lente procedens animadverti potuit per rariorem vomitum & decrementum tumoris, ad quem perfectius tollendum loco tincturæ dedi pillulas e saponis venetæ partibus duabus, extracti myrrhæ, pulveris rhei ana parte una confectis, quibus mensis spatio simul cum emplastro adhibitis sat bene valens nobis valedixit.

Insania ſtupore, debilitate, vomitu frequenti, ut nobis incerto ab aliis relatum fuit, aliquot hebdomadibus ægrotavit pauper ſutor 58 annorum jam admodum emaciatus, nec cibos nec potum appetens, absque pulſu febrili, ſed cum alvo obſtructa, urina ſuppreſſa atque tumore dolenti regionis hypogaſtricæ; clyſmate alvus & cathetere urina ducebatur multa turbida brunna cum ſedimento puriformi, præterea camphora, moſchus, ſuccus citri in potu, clyſma quotidianum, linimentum volatile hypogaſtrio dolenti in uſum vocabantur; urina nunc ſponte ſed ſanguinea fluxit, demum poſt decem dies naturalis appetitus rediit parumper, remanſit autem mite delirium cum inſigni cephalalgia & vertigine erectum corporis ſitum prorſus non permittente, menſis ſpatio per venæſectionem, ſanguiſugium temporale, veſicatorium nuchæ, interpoſita laxantia, mixturam camphoratam acidam, pediluvia & interea epithema ex aqua frigida capiti deraſo applicitum adeo reſtitutus fuit, ut modo vertigo ambulationi obſtans et memoriæ defectus ſupereſſent; ſetaceum ideo nuchæ applicui, cujus effectus poſt

menſem

menſem plenaria ægri ſanatio erat, qui tunc nobis retulit, ſeſe per multos annos fluxu laboraſſe hæmorrhoidali biennio ante hunc morbum ſuppreſſo.

Phtisica ſequentem ſui morbi originem narravit: Ante annum & dimidium oſſiculum per laryngem illapſum erat, poſteaque duobus menſibus dolorem conſtantem circumſcriptum in pectore ſiniſtro cum tuſſi ſicca paſſa erat; tunc ſubito ſupervenit expectoratio larga puris ſanguine mixti, quacum oſſiculum ejiciebatur; ab eo tamen tempore reſtitit tuſſis cum ſputo purulento quandoque ſanguineo, dolore pectoris, emaciato corpore, variis fruſtra adhibitis demum a porrecto oleo aſphalti & ſucco cucumerum manifeſtum ſentiit levamen, adeo ut tuſſis fere ceſſaverit, vires cum carne redierint, atque ſana nos reliquerit.

Hydropica 48 annorum cum tuſſi ſicca, dyſpnoea, dolore oppreſſorio cardiæ & hypochondrii dextri poſt uſum cremoris tartari ſolubilis octiduum corripiebatur efflorefcentia rubra lata ardenti primo faciei dein totius reliqui cor-


poris cum salivatione multa & excoriatione interna oris; exanthema hoc 14 diebus persistebat atque per desquamationem epidermidis cum tumore hydropico insigniter imminuto cessabat; elapsis autem aliquot diebus resurgebat eadem affectio cutis eodem modo ac prior finita illo cum effectu, ut hydrops pro hac vice simul cum reliquis symptomatibus evanuerit.

SECTIO.

Lumbagine lateris sinistri novem dierum laboravit quinquagenarius admodum obesus cum ischuria renali trium dierum, alvo naturali, pulsu vix febrili, bis jam vena secta; primo post introitum triduo adhuc sexies sanguinem eduxi phlogisticum, clysmata frequenter & emulsiones camphoratas exhibui, dolor lateris hinc cessavit, ischuria autem ad omnia rebellis perrexit ad decem usque dies, dum sponte processit urina citrina posteaque fluere perrexit; accesserunt praeterea haemorrhagia narium larga repetita, vomitus, singultus, alvi laxitas, motus convulsivi, somnus lethargicus, sub quo die decimo octavo morbi exspiravit.

Aperto

Aperto cadaveris abdomine invenimus inteſtinum colon admodum expanſum, illudque ſimul cum inteſtino ileo & ſuperficie concava hepatis inflammatum, veſica fellea notabilis erat magnitudinis & bile repleta, renes mira copia adipis circumdati & compreſſi videbantur intusque admodum flaccidi & quaſi macerati erant, ren ſiniſter naturalem magnitudinem, dexter autem modo dimidiam habuit.



II.

VIS ANTISPASTICA ET EMMENAGOGA EMETICORUM

OBSERVATA

PER

J. W. GULDBRAND,
M. D. Archiater Reg. Soc. p. t. Præf.

Datur experientiis sexcentis comprobata partium humani corporis sympathia: Consensu communi agunt cerebrum atque ventriculus: Quæ pectori juvant, juvant Renibus. Facilis observatur a pulmone ad crura materiæ morbificæ fluxus atque refluxus:

Dum interea temporis medicina, etiam hodierna, frustra desiderat Medicorum Alexandrum, qui modum, quo hæc phænomena oeconomiæ animalis producantur, nodum vere gordium, rite solvat & extricet, nec fallaci hypothesi scindat: Medicus practicus licet agendi modum naturæ ignorat, ad ipsos attamen effectus attentus, horum

ope

ope ſymptomata ambigua, ſedesque morborum, ſucceſſu haud infelici a partibus nobilioribus ad minus nobiles deferre conatur. Eundem o! utinam tramitem ingreſſi fuerant, qui in enodandis remediorum viribus deſudarunt, ab omni ævo materiæ medicæ ſcriptores. Hoc modo nugis ſuperſtitioſis, fallaciis chemicis, elenchis theoreticis male compoſitis, commentitiis ſcholarum ſpuriis, & ratiociniis a priori (puto ab hypotheſi precaria v. indemonſtrata) deſumtis, totidem veræ artis opprobriis, caruerat medicina dudum.

Sed ohe jam ſatis eſt! Quo me rapit veritatis cupido? Locutus ſum alibi (a) *de vi revellente & antiſpaſtica emeticorum datorum doſi refracta* ex obſervationibus Cell. in Svecia virorum Dahlberg & Bergii; hodie, Commilitones Optimi, vestræ attentioni voveo obſervationem, duplici confirmatam exemplo, de *vi antiſpaſtica & emmenagoga emeticorum, doſi, ad vomitum ciendum ordinaria,* propinatorum.

Puella aliquot ultra 20 annos nata, motibus hyſtericis quodammodo obnoxia, ſuſtinuerat febrem

(a) Diſſ. inaug. de Sangv. Uterin. pag. 81. & 82.

brem rheumaticam, quam ſequebantur ſtupor & immobilitas femoris & cruris dextri: Ivimus his malis obviam per Eſſ. Stibii, Infuſ. flor. arnicæ & demum, urgente ſimul hyſteria, per extractum trifol. fibrini in liquore C. C. ſuccinato ſolutum. Tandem extremitas affecta ſenſum motumque perditos pro parte recepit, & acceſſerunt conamina menſtrualia, poſt ſuppreſſa per menſes complures catamenia: Lumbaginem ægra incuſabat gravem, dolores immi ventris, oppreſſiones cardialgicas: Fruſtra ſumſit emmenagoga varia: Denique lumbagine, dolore abdominis & cardialgia aggravatis, ſubitis corripiebatur convulſionibus. His viſis VSectionem curavimus adminiſtratam & mox poſtea Pulv. crem. tartari ℨj Kerm. min. gr. IV. mixtam dedimus & ſimilem pulverem poſt horæ diſtantiam: Horum ope non convulſiones ſolæ ceſſarunt, ſed deſiderata dudum catamenia prorupere, & ægra reſtituta fuit.

Altera robuſta erat craſſa, ruſtica, puella, quæ ſuperata, quam paſſa erat, febre continua benigna ſatis, ſolam querebatur menſium obſtructionem cum ſymptomatibus ſolitis; His aggravatis

vatis acceſſit inſultus epilepticus, quem VSectione & ſimili emetico ſuſtulimus, juncto ad lumbaginem minuendum veſicatorio: Ante hujus operationem autem prorupere menſes, & relicto poſtridie lecto ægra reſtituta fuit.

PATET ex caſibus allatis vis emeticorum, qua talium, antiſpaſtica, & accidentalis emmenagoga: Vix autem debetur hæc niſi ſoli ſtimulo & irritabilitati, quos in confiniis ventriculi excitat: Per ſympathiam partium corporis humani aut tolli ope hujus ſtimuli fortioris & ſubiti, ſpaſmos aliarum partium arctos ſuſpicor, aut concuſſu corporis & niſu vomitorio ſolvi & pertrudi impacta, aut materiam ſtimulantem acrem per novum ſtimulum aliorſum derivari vero videtur ſimile. Sed lucubrationes has & earum ſolutiones cedo, quibus tempus datum fuerit ſimilibus vacandi, dum ad munera alia ſexcenta obeunda cogor.

INTERIM obſervationes hæ cum reliquis de refracta emeticorum doſi collatæ campum aperiunt curioſo cuique ſcrutatori ſat amplum, ex quo varia ad medicinam practicam redundare poterunt

emo-

emolumenta. Dudum innotuit vis emeticorum ſudorifera & expectorans. Recentiori ævo ad hæmorrhagias varias ſiſtendas viſa fuerunt haud inefficacia. An phtiſi pulmonali, ulceroſæ, veræ, refracta emeticorum doſis per tempus continuata, eo nomine conduceret, ut ab ulcere nimiam averterent humorum congeſtionem irritantem, & ſic, quiete aliquali ulceri conciliata, ad conſolidationem aliquam adderent ſymbolam?



III.

III.

SYMBOLA AD HISTORIAM DYSENTERIÆ, EPIDEMICE AUTUMNO ANNI MDCCLXXIX, CIRCA AARHUSIAM GRASSANTIS

COLLATA

AB

ANDREA BROEBERG RANÖE,
M. D. & Societatis Membro Ordinario.

Ad finem vergente menſe Septembri regionem circa Aarhuſiam invaſit Dyſenteria longe lateque & graviter ſatis ſæviens.

Doleo quod Hiſtoriam hujus Epidemiæ inde ab origine ejus prima deductam Societati offerre nequeam, utpote qui medio Octobris primum, jubente clementiſſimo *Monarcha*, a Collegio Medico Regio ad hoc iter ſuſcipiendum electus ac illuc profectus, Epidemiam non inchoantem ſed jam provectam & dein decreſcentem tantum obſervare

ſervare

ſervare potuerim. Attamen ſpero quod Societati haud diſpliceant annotata hæcce qualiacunque apud centum fere ægrotantes collecta.

Apud paucos tantum incipientem obſervare mihi contigit morbum. Hos in genere primum adgrediebatur laſſitudo univerſalis, cui ſtatim ſeſe junxit oppreſſio Epigaſtrii, cum ſapore malo, vomitu bilioſo repetito; vel ſaltim conatu vomendi continuo, torminibus ventris, aliquoties tenesmo inani, ſæpius excretione frequentiſſima, jam ſtercorea, jam mucoſa, interdum ſanguine plane deſtituta, interdum eo plus minus tincta, ſemper ſumme dolorifica, ſtipatis. Linguam eorum cruſta alba obductam conſpexi: pulſum tetigi parvum, celerem, debilem. Rariſſime ab horroribus manifeſtis ingruebat morbus: in quibusdam uno alterove elapſo die horrores cum æſtu alternantes occurrebant: Interdum agmen ducebant tormina cum ſubſequentibus dejectionibus, interdum conſtipata pertinaciter alvus, & tum diriſſimus & inanis cruciabat tenesmus. In perpaucis abfuit oppreſſio Epigaſtrii & his lingua pura, ſolito multo levior morbus. Sitim querebantur

omnes;

omnes: appetitus nullus: somnus inquietus, fugax. Sudor imprimis initio morbi nullum attulit levamen, repetitis vero evacuationibus, in quibusdam prorumpens sudor veritatem effati Hypocratici: *cutis raritas ventris densitas*, confirmavit. Infantibus hunc morbum perbenignum declaravit *Sydenhamus*, quod etiam in hac Epidemia valuit, quæ multos quidem infantes adgressa est, at nulli eorum, quos vidi, exitialis fuit.

Hæc facies morbi apud illos, quos a principio ejusdem vidi: & hi omnes brevi satis, fere semper intra hebdomadem, methodo medendi jam adferenda sanitati reddebantur.

Primo itaque omnium, urgentibus nausea, vomitu, oppressione Epigastrii ad ventriculum eluendum emetico-catharticum e pulvere radicis Ipecacoanhæ & rheo singulorum scrupulo uno compositum, mane porrexi. Plerumque unica hujus remedii dosis ad effectum desideratum & levamen producendum suffecit: si vero iterum transiens levamen, si rediens nausea & ponderis in epigastrio sensus colluviem acrem in ventriculo adhuc hærentem prodiderit, uno alterove die in-

terpofito pro re nata repetitum fuit medicamen, paucis ad tres vices, nemini ultra porrectum.

Noveram quidem minores Ipecacoanhæ doses nonnullis magis arridere, at noveram quoque querelas cl. *Monro*, querelas Ill. *Zimmermanni* quod radix ita data partim effectum non semper præstiterit, partim ægrotis molestias longe plures, quam si in dosibus majoribus propinetur, creaverit, cumque experientia hujus radicis vim antidysentericam multo certiorem monstravit, quando simul alvum subducat, scrupulum radicis rhei addidi, eoque connubio optatum attigi finem. Quid quod plus simplici vice tam enormem biliosæ materiæ copiam ejecit hoc pharmacon, ut inde Dysenteriam quasi difflatam viderim, & in me ipso contagii suscepti symptomatibus, lassitudine universali, nausea, oppressione Epigastrii & torminibus ventris, affecto expertus sim.

Nec infantibus hoc remedium, monito Ill. *Zimmermanni* & experientia edoctus, debito nimirum in determinanda dosi ad diversam ægrotantis ætatem habito respectu, porrigere horrui; nec poenitendo certe eventu, maxime enim proficuum

ficuum & fimul innocuum infantibus ut adultis fe præftitit remedium.

At illo tamen folo quafi nil ultra agendum foret non acquiefcere potui nec acquievi. Ejecta enim licet parte aliqua faburræ, in imo ventre tamen fæpe adhuc colluviei acris fatis magna reftabat copia, & hæc fubinde diluenda, demulcenda, evacuanda erat; nimius dein cohibendus humorum fluxus; tormina fiftenda, ac inteftina interea etiam corroboranda. Et hifce indicationibus ita refponderunt potus diluens copiofus, rheum aliquoties vel folum ad drachmam dimidiam datum, vel Cremore tartari junctum, pulvis dyfentericus difpenfatorii Havnienfis ad drachmam dimidiam ter quaterue indies fumtus, infufum florum chamomillæ & folutio tenuis gummi arabici, ut nullis aliis opus fuerit remediis, & rariffime ad anodynum ob tenesmum pertinaciffimum confugere coactus fuerim. Infantibus poft evacuantia optime conduxit tinctura rhei aquofa, nonnullis infuper, quorum viridefcebant excrementa, Magnefia alba fimul fubinde porrecta.

Et hæc fuit methodus medendi ægrotis, quos mature satis vidi, conveniens & utilis. Longe vero plures jam per hebdomadem, quatuordecim dies & quod excurrit ante adventum meum cruciaverat Dysenteria. In his multo gravior in genere morbus: sæpissime a jam descripta abludens medela.

Ita in universum omnes morbum spiritu frumenti, dulcissimo illis contra omnia mala solamine, debellare studuerant: at illo & immunditie rustica, verbis sane haud describenda, malum longe pejus reddiderant. Constipatio alui pertinacissima cum torminibus duris ac tenesmo mitissima erat hujus methodi poena; & hanc perpauci tantum luebant. Multos præter Symptomata superius enarrata vel dolor immanis Hypogastrii vel lumborum, vel Stranguria atrocissima vexabant: & quosdam nigra evomentes, singultientes, debilissimos, summe anxios, creberrimis sub torminibus summe dolorificis dejectionibus, interdum atris foetidissimis, interdum pure sanguineis exantlatos, sitientes, aphthis in ore & faucibus obsessos, ardore, vigiliis longis & sudori-

ſudoribus profuſis plane confectos, ac duos in agone jam frigidos vix reſpirantes, paulo poſt mortuos, inveni.

Quibus inter hos dolebat epigaſtrium oppreſſum cum nauſeis, ſemper, ubi vires id permiſerint, emetico - cathorticum & reliqua jam allata remedia cum fructu porrexi. Duo horum lumbricos quosdam evomebant.

Iis, quos atrox cruciabat Hypogaſtrii dolor ſolutionem Mannæ calabrinæ, cui oleum olivarum admiſcueram, cum fauſto eventu dedi, & iteratis viribus pro re nata porrexi, inuncto ſimul loco dolenti oleo volatili vel ſacculo e ſpeciebus reſolventibus cum camphora ibidem adplicito.

Pessime vero decumbentibus, quibus mortem imminentem jam minari videbatur dira Symptomatum ſupradictorum caterva, evacuantia ſtatim propinare non auſus ſum. In his febri malignæ, ſingultui, aphtis obviam eundum: in his vires fere ſufflaminatas ſuſtentandas, tenesmi moleſtiam pacandam; torminum vehementiam infringendam, ſpaſticas inteſtinorum contractiones ſedandas, inducias, utut fallaces, quibus via

evacuanti dein præbendo ſterni poſſet, conciliandas credidi. Hisce Decoctum corticis peruviani cum adjecto pauxillo rhei exhibui: datis ſimul pro re nata vel omni vel alterna veſpera ſub hora ſomni paregorico e guttis quindecim Laudani liquidi Sydenhami, ac, cum vires dein id ferebant, laxante e Manna, mucilaginoſis, demulcentibus, diluentibus interea non neglectis.

Ac huic methodo ſatis fauſtus reſpondit eventus; ſi enim duos exceperim ægrotos, reliquos hos omnes e faucibus mortis eripere mihi contigit felici.

In quibusdam reconvaleſcentium confirmatum vidi obſervatum *Sydenhami*, quod;" hic mor-" bus," ut verbis ipſius utar, "ſi diutius excur-" rat inteſtina ſeriatim omnia deorſum verſus af-" ficiat, donec tandem omnis ejus vis in rectum " decumbat cum aſſidua deſidendi cupiditate, qua " nihil præter mucoſum quiddam & ſubcruentum " excernitur." In talibus caſibus ad roborantia confugiendum eſſe docet ſummus medicus, ac pulvere corticis peruviani tantillo rhei maritato ad drachmam dimidiam ter indies exhibito cito ſatis dirum incommodum fugavi.

Sym-

SYMPTOMATIBUS reliquis ſuperatis nonnullos adhuc cruciabat Stranguria, ſolutioni Gummi arabici largiter hauſtæ penitus cedens.

FUERE quoque, quos, morbo finito, vehementes artuum adgreſſi ſunt dolores, tumore eorundem interdum ſtipati, hos vero diſpulerunt frictiones ac pulveres camphorati.

DIÆTA ſola vegetabili demulcenti mucilaginoſo utebantur omnes, ſeparabantur quam fieri potuit maxime, ſummaque gerebatur munditiei & citiſſimæ ſepulturæ funerum cura.

PER integrum Octobrem & partem Novembris ſic ſæviebat Epidemia hæc: indies dein frangebatur contagii vis & medio Decembris incipiente frigore penitus ceſſavit Dyſenteria, quæ fervidiſſimæ æſtati quam humidus & frigidus exceperat autumnus, certo debuit natales.



IV.

VIS CORTICIS PERUVIANI SUSPECTA IN HAEMOPTOES ET PHTHISIOS CURATIONE.

OBSERVANTE

S. Th. De Meza,

M. D. & Societatis Membro Ordinario.

Nullum dari morbum fere, in quo hodie non datur cortex peruvianus, qui unice & ſpecifice olim laudabatur ad febres intermittentes genuinas, remittentes, laruatas periodicas, dein ad gangrænam, ad morbos a debilitate neruorum oriundos, nemo inficias ibit. Idque fieri maximo cum ægrotantium damno atque cum remedii infamia, dum datur in affectibus vbi minus conducit, ſicque male diſſipando corticem genuinum, falſus ei ſubſtituitur, dum tanta copia non ſuppeditatur, quanta requiritur ad debellandum omne pathematum genus, cui adhibetur, nemo etiam negare poterit. Hinc illæ lacrymæ in pervi-

pervicacia intermittentium sæpe ad vsum corticis, rabiem ægrorum & tædium medentium excitante. Laudandaque inde certo conamina eorum, qui alia substituendo, heroico huic remedio, vix jam ob minium abusum genuino, plus obtinendo parcere student; Laudanda equidem solertia & humanitas Collegæ experientissimi *D. Buchave* inveniendo & tentando vires radicis Gei urbani. Utinam votis semper respondeant effectus, in levioribus intermittentibus saltem, ut minor fiat Corticis Sancti profusio.

INTER Morbos, quibus minus convenire videtur corticis inutilis immo & noxia profusio, est hæmoptoes & phthisis ejus pedissequa. Sunt quidem, qui magnis encomiis usum corticis extollunt post *Mortonum*, qui haud hæsitat herculeum vocare antidoton in prædictis affectibus, copiosoque utuntur cortice in curanda phthisi tanquam specifico & unico remedio, nec aliis juvantibus sub fine, ad eum tanquam sacram Anchoram confugiunt; quod satis mirari non licet, si attendere velimus ad auctores qui absque cortice natarunt & hæmoptoicos & phthisicos quam

 pluri-

plurimos curarunt, vel si comparemus vim medicamenti eum morbi natura.

Ad auctores quod attinet, *Benet* neque in vestibulo neque in theatro tabidorum, nullam producit personam in scenam cortice sanatam. Curavit *De Haen* Hæmoptoen venæsectione, aqua gelida, emulcionibus, summaque quiete, nulla mentione injecta de corticis usu. *Home* non adhibet corticem in curanda hæmoptoë.

Vis corticis est roborare, motum sanguinis ejusque osgasmum augere, irritabilitatem excitare, nec non vasa constringere. Vanam declarat *Boerhavius* exhibitionem remediorum adstringentium pro obtinenda constrictonc vasorum sauciorum, dicens; hæmoptoes adstringit se ipsam, si modo motus sedetur. Hunc excitari a cortice nemo dubitat. Præterea raro tuta adstrigentia esse & forsan tantum locum habere in hæmoptoe a violentia externa, ut impetus sanguinis effluentis sistatur, facile patet. Consolidatio enim, uti dictum, vasorum ruptorum naturæ solius est opus; adstringentia alvum constipant, vasa constringunt absorbentia, ergo affluxum humorum pulmones

versus

verſus augent; eadem de cauſa ergo noxius cortex.

Indoles morbi conſiſtit in rudiori ſanguinis motu, ejusque ſpiſſitudine inflammatoria, uti apparet ex ſanguine|e vena educto, qui fere ſemper cruſtam gerit inflammatoriam. Inflammationi autem nocere corticem medici aſſerunt omnes. A cortice augeri inflammationem, febrimque hecticam ſequi a cortice male adminiſtrato ait *Mead.* Nequidem conducit exhibere corticem, ubi adſunt ſigna interna inflammationis, nec juvat hic Nitri additio, uti quibusdam placet, ad ſanguinis efferveſcentiam edomandam motumque inordinatum compeſcendum. Coercetur quidem aliquando ſanguinis ſputum ex uſu corticis, atqui cum periculo copioſioris recurſionis, uti ſæpius vidi, doluique hanc evitare minime ſubinde potuiſſe, uti pluribus exemplis comprobare poſſem, niſi ſufficere crederem duo rariora adduxiſſe, quæ mihi ſe obtulere hyeme vix ne vix quidem elapſa.

Casus I.

Juvenis 25 annos natus, habitu macilento præditus, e matreque phthiſica procreatus, incidit

cidit ſub finem autumni prægreſſi in copioſam hæmoptoem, ad quam ſedandam venæſectiones aliquot inſtituebantur, modo in brachio, modo in talo; dabantur temperantia, nitroſa, potusque frigidus atque refrigerans; poſt aliquot dies fluxu vtcunque ſedato, roborandi ſcopo exhibeo corticem peruuianum ad ℥ß omni bihorio. Circa octauam veſpertinam vocor, manus auxiliatrices allaturus iterum copioſe cruorem exſpuenti, quod æger mere tribuebat vſui horum puluerum, e quibus, vti ajebat, tuſſis ſtatim vehementius exſurgebat cum difficultate ſpirandi, nec vllam aliam cauſam aut errorem diæteticum agnoſcebat. Semotus fuit ergo horum vſus pro tempore & remediis prioribus ſatago motos componere fluctus. Quod optime ſuccedebat: mane enim accedenti, non niſi congrumatum quid e pulmonibus ejectum oſtendit. Suaſi iterum ad vſum puluerum accederet, quid fit? aliquot doſibus aſſumptis, eadem luditur tragœdia. Iterum vocor, video effectum inexſpectatum, euentum haud præuiſum. Deſiſtere jubeo, temperantibus inſiſto & incraſſan-

tium

tium & demulcentium ope conualescit, satisque bene habet jam vltra menses quartuor.

CASUS II.

VIR quadragenario major, ante aliquot annos hæmoptoëm passus, ab hacque satis bene sanatus, dum bis in anno prophylactice sibi venam secare curat; quodque vltimo fere sesquianno negligens, sub finem anni elapsi, cadit a paucis gradibus & pectus lapidi offendit, indeque nihil mali præter dolorem leuem ad sternum sentiens, flocci facit. Atqui transactis 15 diebus, corripitur sputo cruento, primo leuiori, sensim autem increscente: inde in auxilium vocatus, venam secari jubeo, temperantia præscribo, e quibus remittebat quidem fluxus, versus vesperam vsque, quando vehementius ingruebat; iterum igitur extrahitur sanguis e vena ad vncias Xij cum pulsus cæteroquin plenus esset ac duriusculus. Siluit jam fluxus per biduum, dum corticem nitro addito præscribo, debitis interuallis sumendum. Atqui post pauca præbia, magna ebullitione prorumpit iterum e pulmonibus cruor, qui noua phlebotomia compescitur, & Julapio

eum

cum vitrioli ſpiritu probe acidulato; cujus ope nullum dein ſanguinis comparuit ſputum. Inde deſiſtere cogor ab vſu corticis in hæmoptoë.

Negare tamen haud poſſum dari quidam caſus, in quibus non ſine fructu cortex propinare licet, abſente ſcilicet febri ac pectoris dolore, qui equidem caſus admodum rari. Proficuum in ſumma debilitate poſt ſuperatam hæmoptoem remanente inueni, nec non in ſanguinis ſolutione compingenda.

Caeterum remedia optima, pediluuia, alui ductio lenis, acida vegetabilia potius quam mineralia, dum hæc tuſſim excitant ferinam. Opiata pro ſpaſmis compeſcendis & tuſſi clangoſa mitiganda. Immerſiones manuum in tepidam, ligaturæ partium extremarum, ſinapismi ſuris applicati, veſicantia inter ſcapulas, quæ derivando ſæpius magnum afferunt juvamen, uti nuperrime iterum vidi in hæmoptoë a ponderum elevatione; aqua frigida in majori malo cum linteis complicatis collo pectorive admota.

Nec quicquam melius licet blandiri ſibi ab uſu corticis in phthiſi pulmonali, niſi forte in

incipiente

incipiente phthisi, quæ aliquando sequitur evacuationem nimiam, fluorem album, lactationem, seminis profusionem, vel & magnam suppurationem ab operatione chirurgica, vel & in convalescentibus, uti *Pringle* placet, dum pulmones liberi ab infarctibus; demum in phthisi a febri intermittente orta. Cæterum declarat *Dessault* corticem nocentissimum in phthisicis, præsertim in phthisi tuberculosa, non nisi dubius proponit *Schacht*, an cortici peruviano locus in ulcere pulmonum? Mundando eoque consolidando? plurimum nocere hoc medicamentum, cum pulmo jam exulceratus est, sæpius dolui, cum tussim excitaret, respirationem inhiberet, sputaque supprimeret. Sanavit *Haller* ulcus pulmonale cortice peruviano cum lacte decocto, semper tamen felicem fore successum non ausus est promittere.

Habui præterea phthsicos quam plurimos, quibus pro mitigandis symptomatibus, febri scil. hectica, sudore & diarrhoea colliquativis corticem sine fructu dedi. Datur enim cortex in hectica, rationes habita ad regulares horrores, calore ac sudore matutino insequentibus, ad analogiam

febris

febris intermittentis. At proh dolor! inutile ac iners remedium huic ſcopo, tempus teritur fruſtra quo aptiora forſan præbere licuiſſet, præmonente enim *Fothergill*, auget ſæpe tuſſim, hæmoptoem, pulmonum eroſiones, ſudoresque colliquatiuos. Febrim hecticam inde non mitigari obſeruaui ſæpiſſime & præcipue in phthiſico, hoc autumno demortuo, in quo præ cæteris preverteבantur inde acceſſus aliquando pro aliquot diebus, redibant tamen poſt infidas inducias & concomittabantur ægrum ad tumulum usque. Cortex peruuianus ait *Tralles* ſolis intermittentibus & ex earum genere continuis deſtinatus, neutiquam conuenit, licet e practicis numero pluribus in febri hectica adhibetur, nunquam vero inde aliquid boni obſeruaui & quamuis in quibusdam minus nocere videatur, parum aut nihil prodeſſe, affirmare haud dubito cum *Fothergill*. In tentaminibus clinicis declarat *Home* medicamentum noxium in phthiſi, tanquam febrim augens. In inflammationibus viſcerum & abſceſſibus internis potius augeri febrim quam minui ab vſu chinæ chinæ, effatum eſt *Baglivii*. Peſſime ſe habere tabidi ait *van Swieten* quibus

cortice

cortice peruviano febris tollitur hectica, & summam pati anxietatem, inde in simili casu suadet abstinendum a cortice. Nocere potius quam juvare in talibus febribus asserit *Verlhofius*; in ultimo stadio a cortice potius augeri quam stipari Diarrhoeam colliquativam observatio est collegæ olim, nunc Beati *Friborg*.

Videtis ergo quanta cautela necessaria in corticis exhibitione ad phthiseos curationem, cum quanta prudentia administrari debet, roborandi forsan scopo in hectica absque ulcere, & præcipue attendendum esse ad juvamen & nocumentum inde productum, ut ab eo desistamus, si ex primis tentaminibus nihil commodi redundat, ne malum deterius evadat.

Deploranda quidem est tabidorum sors, quod neque ab aliis remediis laudatis in phthisi, melius sperare liceat, neque ab acido vitrioli, neque a martis limatura, aquis mineralibus, musco islandico, myrrhæ solutione, oleo asphalti, nec a venæ sectionibus parvis sæpius institutis; quod proh dolor! adeo clinicis notum, ut non egeat demonstratione. Exclamandum ergo.

Jacent, quibus cruenta tuſſis imperat
Locis in omnibus, nec ullus attulit
Opem gementibus. Truces ad inferos
Fit indies acerba pronior via,
Saturque ſtertit orcus.

PHTHISIS conſumata omnem reſpuit medelam; ſi quid valemus medici, prophylactice erit, bonum inſtituere regimen, corpus ſemper ubique conſervare perſpirabile, ſumma cautela corporis calidi refrigerium fugere, venam ſecare in plethoricis bis in anno, & opiatis ſtatim ab initio ſiccam compeſcere tuſſim.



V.

V.

ÆTHUSÆ CYNAPII
IN CORPORE HUMANO
EFFECTUS NOCIVUS

Auctore RUDOLPHO BUCHHAVE,
Medic. Doct.

Cum indicare effectus, a diversis plantis, quarum vis nociva nondum satis perspecta sit, in corpore humano editos, ac eos patefacere, quarum virtus infirmitatibus mortalium maximo fuerit emolumento, æque laudabile inceptum reputaverim, eos in lucem edere effectus, quos, me invito, in ægris quibusdam excitavit Æthusa Cynapii, haudquaquam dubitavi, præsertim cum hos describendo causam simul innocentis Conii Maculati dicere possim.

Dum per totam Europam celebravit cl. *Störckius* usum Conii, omnesque practici vim ejusdem in ægris tentarunt suis, quo de utilitate ejus me-

dica certi vero illo perfunderentur gaudio, a multis malis, hucusque optimis curis resistentibus, se cives miseros liberasse, ego tunc temporis medicus factus aliorum experimenta meis confirmare tentaminibus magno flagravi ardore. Didici jam dudum, dum Hauniæ versatus fui, dictam herbam in multis profuisse malis, nunquam vero effectus, laude acquisita indignos, vel corpori humano inimicos edidisse audivi. Spe boni eventus, ægris quibusdam herbam Conii, in omnibus propemodum pagis nostris ad sepes affatim crescentis, præscripsi. Hujus usu varia apparuere in ægris symptomata mala, quorum causam neque ex pharmaco præscripto, neque ex morbi indole deducere potui, sed eam a regimine ægrorum inordinato ortum trahere primum duxi. Perbene sciebam, pharmacopolam characteres didicisse Conii, totamque plantam ex habitu cognovisse, & jam cognoscere, ut, quod in quibusdam Europæ locis factum, ignorantia in vicem Conii aliam sumere nequiret plantam: De dolo patrato nunquam eram convictus. Ægris igitur, ut usum continuarent medicamenti, meisque præ-

ceptis

ceptis ut morem gererent, injunxi. Brevi vero post renovatæ sunt querelæ, qua propter harum impatiens, famæque bonæ studiosus, herbam, quam sceleris suspectam jam merito habui, examinandum sumsi, reperique, magnam Æthusæ Cynapii partem a perfido pharmacopola esse admixtam. Hanc ergo omnium malorum causam esse credidi, neque me decepit conjectura; postea enim experimenta docuere Conium esse a culpa liberum, & coram judice deinde, pharmacopolam æqualem Conii & Æthusæ partem maligne miscuisse, patefactum est, & testibus publice monstratum.

Ægri tres hanc adhibuerunt miscelam, quorum morbi historiam, ut in diariis meis extant, hic apponere non pigebit.

1) Viduam perpauperem, ruralem, annum circiter agentem 40, diu afflixerant ulcera faciei collique carcinomatica, ichor valde foetens fundentia, margine dura, locaque vicina continuo magis magisque depascentia. De coetero sana. Præter laxantia pillulas de Conio per spatium bimestre sine ullo incommodo adhibuit, nulla vero

 inde

inde mutatione mali in melius visa, oleoque & opera perdita, tandem herbam præscripsi Conii, cujus caperet unciam unam in aquæ simplicis unciis XXXII coquendam, atque colaturam partitis vicibus, omni bihorio, ad uncias III quotidie biberet. Per IV aut V hebdomadas hoc medicamen in usum traxit, quo tempore me sæpius adiit atque conquesta est, sibi herbas suspicionem importasse, quoniam a decocto sumto se male semper habuit, hujusque haustum tremores, vertiginem, oculorum hebetudinem, cephalalgiam, dolores colicos, vomitum, virium defectum, cibi fastidium excitasse. Quamvis in regimine diætetico nullum invenire potui crimen, suspicio hujus tamen rei remansit. Dedi igitur laxans, præscriptam diætam inculcavi, & ad usum decocti porro adhortatus sum, meliora sperans. Breui vero rediit, dicens, se præcepto satisfecisse meo, continuoque ex decocto fideliter hausisse, eadem vero quotidie expertam fuisse symptomata, imo ante aliquot dies vomitu violento, tremoribus & convulsionibus ita correptam, ut lectum petere fuerit coacta, ab eo tempore nau-

seosum

seosum decoctum sepofuisse, & jam omnibus collectis viribus in urbem pedibus iter fecisse, quo nouas a pharmacopola acciperet herbas, meæ inquisitioni sistendas. Tantorum malorum anxius, herbasque rudi modo inscisas inspiciens, facile detexi, magnam Æthusæ partem Conio esse admixtam. Hinc causa malorum patefacta, poenituit me, sed serius, quod nullo habito dubio de pharmacopolæ sinceritate, tam longo tempore toxico hoc vires & salutem perdidissem ægræ. Conium inde verum optimumque ei ipse præbui, cujus decoctum, uti antea, ipsa pararet, eodemque modo adhiberet. Hujus usu, symptomata recensita cessarunt, vires corporis indies augebantur, ulcera maligna pus dederunt laudabile, & intra menses II omnino sanata sunt.

2) Eodem tempore, quo dolum detexeram denominatum, foeminam pastoris cujusdam inuisendi gratia, rus profectus sum. Hæc, cujus tota familia phthisi pulmonali occubuerat, annos habuit aliquot supra viginti, diuque respiratione difficili, anhelitu graui, & tussi vehementi sicca absque excreatione laborauerat. Multa consum-

 serat

ſerat medicamina absque mutatione vel lenimine morbi. Cenſui, in pulmonibus adeſſe indurata tubercula atque vomicas, id quod etiam anatome poſt mortem detexit, ideoque cum Conio periculum vt faceret adhortatus ſum. Herbæ Conii ab officina pharmaceutica apportatæ unciam ſemis coquebat cum aquæ unciis XXXII ad libras II: Ex colatura omni bihorio caperet uncias III. Poſt dies XIV eam viſitanti de aucta reſpirationis difficultate, cephalalgia, doloribus colicis, nauſea, vomitu, membrorum laſſitudine atque torpore conqueſta eſt. Fraudulentiæ pharmacopolæ memor, decocto herbæ adhibito alienos hos adſcribere effectos non hæſi. In aquam igitur tepidam miſſis herbis inſciſis, foliisque inde expanſis, facile diſtinguebantur Conii & Æthuſæ. Quo vero certior eſſem, quod decoctum reuera excitaſſet iſta, de quibus ægra conqueſta fuit mala, virgini ibi præſenti perſuaſi, vt vnciam vnam hauriret decocti, ipſeque tantundem ſumſi. At vix præterlapſis horæ minutis VI nauſea & doloribus colicis ambobus ſtetit experimentum. Ipſe poſtea & herbam veram & pilulas Conii

præbui

præbui ægræ, quæ harum vſu nihil mali perſenſit.

3) Anno poſt hæc geſta integro præterlapſo juvenis ruſticus, xx annorum, me adiit, opemque imploravit. Ulcera tonſillæ, palati, naſi & genæ dextræ habuit venerea. Laxantibus præmiſſis & interpoſitis, decoctum ex Conio, in horto patris ſui ſponte creſcente, paratum diu æſtivo tempore adhibuit, ulceribusque propemodum ſanatis, ſe curæ empirici, ibidem loci commorantis, commiſit; ſed brevi omnia in pejus ruebant. Revertenti iterum ab officina pharmaceutica Mercurium ſublim. ſpiritu vini ſolutum, præſcripſi, herbamque Conii, ex qua decoctum tali, ut ægra prima, modo ſibi pararet & adhiberet; quinto quolibet purgaretur die, & diætam inſtitueret lacteam. Ante curæ initium nihil, exceptis ulceribus, perſentiebat mali, eadem vero incepta, dolores colici, nauſea, cephalalgia, cibi faſtidium, vertigines, ingens totius corporis languor & debilitas oborta ſunt, quæ ſymptomata poſt quemlibet hauſtum præſertim ſunt aucta, quapropter etiam de herbis ſuſpicabatur æger, in-

primis, cum hæ, ut dicebat, herbæ decocto pejorem impertirentur ſaporem, ac eæ, quæ domi creſcebant. Quoniam antea ex uſu Conii nihil mali ſenſit, id culpa vacuum habui, quare querimonias ejus primo neglexi, iteratis vero eisdem, in omnes cauſas poſſibiles ſolicite, ſed fruſtra, inquiſivi. Pharmacopolæ male credere nequivi, quoniam de patrata admonitus fraude, ſincerius in poſterum agere promiſerat: Herbæ præterea admodum minutim erant inſciſæ, adeo ut indagationi locus non eſſet. Hinc quoniam una cum decocto, lacte mixto, Mercurii ſolutionem ſumſit, in hanc, ter quotidie adhibitam, & in laxantia, debilitatis & ſymptomatum coeterorum cauſam tranſtuli, ideoque eadem parcius adhibenda juſſi, ſed nulla ſymptomatum inde mutatio viſa fuit. Initio curæ, pejora reddita ulcera vicina depaſcebant loca, tandem vero ad ſanationem, quamvis lente admodum, tendebant, quod etiam præter allatas cauſas me inſtigavit, vt medicamenta non mutauerim. Curam per anni dimidium ſuſtinuit, quo tempore dicta eum affligebant ſymptomata, imo debilitas corporis tanta

inter-

interdum erat, vt ſolus e ſella ſurgere, vel paulum meare prope eſſet impoſſibile, unde etiam medicamina per aliquot dies ſeponere, & laxantium numerum minuere ſæpius fui coactus, quo vires iterum aliquantum colligeret. Tempore bimeſtri præterfluxo, ulcera quædam ſanata ſunt, quædam vero plenam admittere noluerunt conſolidationem, & cum eo tempore chirurgi ope carere poſſet, domum redire deſiderauit, quod renuere nolui; injunxi tamen, vt poſtea eadem, quæ antea adhibuerat, ab officina accerſeret medicamina, quod etiam præſtitit; ſed nouæ herbæ eum in majus conjecerunt malum; nam poſt mane hauſtas decocti vncias III, debilitate ingenti, vertigine, tremore, ſpasmis, convulſionibus correptus eſt, ſubſequente lipothymia. Eodem die mihi rure commoranti factum hoc retulit ſolicita ægri mater. Memor eorum, quæ Æthuſa antea cauſauerat mala, matri mandaui, vt die poſtero eandem decocti porrigeret filio doſin. Hoc peracto memorata rediere ſymptomata, quæ ab herbis derivari in propatulo erat. His itaque rejectis, alias notæ melioris adeptus eſt, ex quarum

uſu

uſu nulla perſenſit incommoda, ſed poſt menſis vnius decurſum omnino ſanatus fuit.

Notandum ſit, quod tempore ſuccedente euictum ſit, Æthuſam dimidiam herbarum, prius adhibitarum, partem expleviſſe; exinde in ultima mixtione, vnde pejora & violentiora orta ſunt ſymptomata, maximam, ſi non omnem, partem fuiſſe Æthuſæ, ex factis judicare haud dubitavi, quamuis non ſit patefactum. Quod quædam ulcerum ſub toxici hujus uſu, quamuis tarde, ſanata ſunt, maxime Mercurio, & quod venenum hoc tamdiu, absque virium omnimoda proſtratione, majori noxa, vel vitæ perditione tulit, ſolæ diætæ lacteæ, qua ſub cura continuo uſus eſt, adſcribendum puto.

Hæc adduxi narrata ad confirmandam Æthuſæ in corpore humano noxam. Plura allata majus forſitan de hujus plantæ effectu ſpargerent lumen; ſed lætor, me plura indicare non poſſe. De eorum certitudine nemo dubitare poteſt, qui ſciat, facta enumerata in foro a teſtibus fidelibus jurejurando eſſe confirmata, judiciumque atque poenam impoſtorem manere.

Ex

Ex historiis morborum colligere fas est: Æthusam Cynapium neruorum systema præcipue aggredi, functiones ejusdem ordinarias impediendo, & vires inde totius corporis debilitando, vnde sinistra in ægris oborta symptomata omnia facile explicantur, & prolongata curatio intelligitur. Ad classem igitur venenorum stupefacientium pertinere hanc herbam palam est, quamuis e plurimis, qui de materia medica agunt, libris, ob vim forsita adhuc dubiam, exulauerit.

Vim Æthusæ nociuam multi jam pridem cognouerunt obseruatores, quorum quam plurimorum obseruata compendiosissime collegit atque enumerauit Ill. *Hallerus* (a), cujus verba hic exscribere non pigebit. " Tota planta trita odorem " virulentum allii præfert, & sæpe potuit pau" perculis hominibus nocuisse, cum & in hortis " proueniat, & haud mediocriter Petroselinum " referat. Quam adeo Cicutam medici cum Petro" selino comparaverunt, eam pro nostra habeo. " Multa exempla reperio anxietatis, singultus, " etiam trimestrium deliriorum, soporis, stupo-

" ris,

(a) Hist. stirp. indigen. Helvetiæ. Tom. I. pag. 336.

" ris, impotentiæ, vomitus, faucium constricta-" rum, spasmorum ventriculi, convulsionum, " mortisque, quæ omnia mala Æthusæ tribuuntur. " Nostram innocenter ab integra familia comme-" stam lego, minori forte copia, hæc enim ve-" nena non occidunt, nisi uberius sumantur. " Mihi certe accidit, vt cum uberius de petrose-" lino cum aqua cocto cœnassem, ea nox mihi " per nauseas & diarrhoeam valde incommoda " fuerit." Inter recentiores Linnæus (a) admonet: " Ut caveant coqui, ne Æthusæ folia loco " apii petroselini in cibum adhibeant, cum eorum " dementet esus."

Si quis objiceret: Nocuisse etiam aliquando Conium maculatum, eademque produxisse sinistra symptomata ac Æthusa, adeo ut tuto pronunciare non liceat, an in supra nominatis casibus Conio vel Æthusæ culpam tribuamus; fortiter insistere audeo: Conium nunquam nocuisse. Scio equidem viros fuisse, qui antiquis temporibus Conio noxias tribuere vires; sed his fides non habenda, quoniam Conium cum Æthusa,

Cicuta

(a) Flor. Svec.

Cicuta virosa, Chærophyllo, Phellandrio, aliisque confundebant, nullos enim certos docti erant characteres botanicos, quibus umbelliferas rite discernere valuerunt. Hinc plantæ hujus admodum confusæ apud observatores descriptiones, quæ ratione effectuum observatorum scrupulum non exiguum injiciunt: Jam enim hi medicamentum criminari, illi non adeo suspicere; alii omni scelere absolvere (a) ut ultimo plerasque de Cicuta historias incertæ plantæ esse, post *Trewium* pronunciarit *Hallerus*, quod etiam ex dictis ejus supra allatis pateat. Scio etiam alios novissimos exstetisse, qui vires Conii vel inutiles vel noxias indicarunt, quo refertur *Anth. de Haen*, *Joh. Andree*, *Langius*, *Gataker*, *Joh. Calvus*, *Whyttius*, *Astruc*, alii; sed in hac re candorem *Hænii* desiderarunt *Alethophili Viennenses* (b), alii in aliis (c); ceteri, qui vires infelices Conii experti sunt, omni sine dubio verum non adhibuerunt Conium. Ita in Anglia, Hollandia, Gallia, Italia, Borussia, Silesia, Bohemia, & in ipsa

Austria

(a) Crantz, Mat. Med. P. III. pag. 44.
(b) Elucidatio necessaria Epistolæ Hænii de Cicuta.
(c) Briefe über das Blatterbelzen.

Auſtria contigiſſe teſtatur *Störckius* (a). Idem aſſentitur Crantz (b), dicens: Æthuſam Cynapium & Phellandrium aquaticum effectuum Conii multam partem retuliſſe. Extractum enim potuit ex Chærophyllo temulo (c), ex Chærophyllo bulboſo (d), ex Cicuta viroſa (e), ex Æthuſa cynapio (f), ex Phellandrio aquatico (g), paratum fuiſſe, & pro vero Conii extracto venditum, adhibitumque, vel ex Cicuta Pariſina deterioris notæ (h) profectum. Cicutæ hinc in omnibus officinis eædem non ſunt (i), neque id vel adeo mirabile videri poteſt, cum etiam hodie botanici Conium maculatum cum Cicuta viroſa confundant, quod in flora Carniolæ factum, ubi character Conii adſcribitur Cicutæ viroſæ. Ubi igitur infortunia in ægris oborta Conio adſcribuntur, ibi ex allatis unum alterumve vitium irrep-

ſiſſe

(a) Continuat. Experiment. p. 8.
(b) Mat. med. P. III. p. 45.
(c) Ibid.
(d) *Crantz.* Faſc. III. p. 69.
(e) *Haller.* Hiſt. Stirp. indig. Helvet. T. I. p. 342.
(f) *Crantz.* l. c. p. 45.
(g) Idem l. c. p. 48.
(h) Journ. de med. l'ann. 1764. m. Juin.
(i) *Crantz.* l. c. p. 44.

fiſſe neceſſe ſit. Hoc ex ſymptomatibus, quæ in aliorum ægris viſa ſunt, cum iis, quæ in meis obſervavi, collatis, admodum probabile videtur, veritatique conſentaneum. Symptomata enim infauſta Conio, interne adhibito, a noviſſimis obſervatoribus imputata, ſunt: Appetitus abolitus, debilitas totius corporis, brachiorum præcipue & pedum, vertigo, tremor oculorum & totius corporis, viſus debilitatus. Hæc vero cum apprime conveniant cum dictis, ab Æthuſa excitatis, malis haud falſo videmur ratiocinari, ſi Æthuſæ, vel aliæ ejusdem faraginis plantæ, per ignorantiam ſubſtitutæ, eadem adſcribamus. Innumera ſi addas, tum veterum tum recentiſſimorum, de Conii innocentia teſtimonia, quæ, ut perquam nota, hic enumerare ſuperſedere poſſum, rem extra omnem dubitationis aleam invenias poſitam, certiſſimeque de Conio colligas: Si non juverit, ſane non nocuerit (a), etiam magna doſi porrectum. Fida edoctus experientia hoc adfirmo: Ipſe namque ægris

(a) *Stoerckius*. Lib. I. de Cicut. p. 6. 12. Lib. II. pluribus in locis. Continuat. Exper. p. 79. 206. 236. *Hallerus*. Hiſt. ſtirp. indig. Helvet. T. I. p. 342.

ægris decoctum Conii fortissimum ad unc. VI, & succum ejus recenter expressum ad unc. II. sæpius quotidie exhibui, nihilque inde mali unquam vidi. Infortunia igitur in ægris meis visa, non sane Conio, culpa omnimode vacuo, sed Æthusæ merito & debite sunt imputanda. Huic postulato facile adstipuletur, qui attente facta perlegat; seposito enim Conio, cui admixta fuit Æthusa, mala minuebantur, cessabant; usu ejusdem iterum incepto, redibant, augebantur. Eademque sub usu veri Conii, denuo exhibiti, nunquam in conspectum prodibant, hoc enim bene tulerunt, hocque sanati sunt.

Hæc de Æthusa dicta sufficiant. Quam plantam, si non inter venenatas stricte sic dictas, attamen inter venenatas stupefacientes locum obtenturam, corporique humano ita inimicam esse, ut omnino non ad medicamentorum, minimeque ad alimentorum classem referri possit, nemini non ex dictis patere credo.

VI.

VI.

SPECIMEN DESCRIPTIONIS MORBORUM ANNO MDCCLXXIX IN NOSOCOMIO NAUTICO GRASSANTIUM.

PARTICULA PRIMA DE INFLAMMATIONIBUS PECTORIS,

Auctore H. CALLISEN,

M. D. & Profess. Nos. Naut. Med. Reg. Soc. Med. p. t. Secret.

INTER acutos morbos nauticorum, qui Anno 1779 ad Nosocomium navale allati fuerunt, frequentissimæ erant inflammationes pectoris, febres putridæ veræ, febres mixtæ, febres nervosæ, Dysenteriæ, ac denique variolæ. Quæ in horum morborum genio ac medela singularia mihi occurrerunt cum Societate communicare haud incongruum putavi.

NUMERUS ægrotorum inflammatione pectoris laborantium 185 comprehendebat, quorum 34 diem obierunt supremum. Morbus hic, qui

mensibus Aprilis, Maji, Junii, Julii, Augusti atque Septembris præcipue grassabatur, præ reliquis omnibus, maxime erat ambiguus atque periculosus. Rarissime primum morbi stadium observare mihi licuit, cum plurimi non ante quintum, sextum vel septimum diem e navibus bellicis ad Nosocomium delati fuerint, inque nonnullis in suppurationem, in aliis in Gangrænam jam transierat morbus. In tribus solummodo, qui scabie decumbentes, hoc morbo corripiebantur, morbi initium ac progressum observare licuit. Hi in principio insolitam extremorum tensionem, horrores intercurrentes, gravitatem capitis, interdum dolorificam, sentiebant, cibos aversabant, potum assumebant copiosiorem, cutis sudore perfusa erat, omnemque motum fugiebant ægroti, facies pallida, oculi languentes, respiratio parum frequentior, pulsus, aliquantulum minor, haud multum a statu naturali recedebat. Per octo vel duodecim horas durabat hic status, tunc accedebat vomitus, ut plurimum biliosus, cum aucto capitis artuumque dolore, pulsu frequentiori, duriori, minori. Symptomata intra 24 horas ita ingravescebant, ut pulsuum ictus,

sub

frequenti anhelosa respiratione, 130 in minuto primo temporis numerari possent; lingua tunc erat impura, sitis, inquietudo, dolor vehementior, animi tristitia summa, cutis ardens, sicca, rubra, alvus clausa, urina ignea clara; In hoc statu tertium morbi diem attingebant ægroti; accedebant jam dolor punctorius & gravativus pectoris tantus ut sub quavis inspiratione præ dolore planctum edere cogerentur, tussis sicca admodum dolorifica, & haud raro inquietudo ad delirium usque augebatur; alvus raro sponte aperiebatur; ad quintum vel septimum diem augebantur hæc symptomata, transibat tunc inquietudo in soporem fere continuum, pulsus rarior pleniorque evadebat, tussim minus dolorificam sequebatur ejectio sanguinolenta viscida foetidissima. Hæc faustum morbi successum promittebat, si ejectio ad 13 vel 15 diem augebatur, & tunc sensim decrescebat: periculum e contrario aderat, si in verum pus mutabatur ejectio, si prostratio magna virium, urina clara aquosa, vel expectoratio valde difficilis adveniebat. Ejectio plane suppressa aut inter 11 & 15 diem mortem præsagiebat, vel sudor ac urina critica fugabant

gabant ſymptomata. Hi omnium feliciſſimi evadebant, ac brevi ſanitatem recuperabant; illi, quorum expectoratio ſanguinolenta continuabat, lente circa 8 vel 9 morbi hebdomadem reconvaleſcebant, vel circa 5 hebdomadem phthiſici moriebantur: in his pars pulmonis in ſaniem gelatinoſam foetidam converſa, vel vomicis obſeſſa reperiebatur. Intra paucos dies ſub decurſu morbi cito ſponteque, cum deterioratione ſymptomatum, redibat ſcabies ante morbum paſſa.

In nonnullis circa 5 vel 7 diem accedebat diarrhæa; morbus tunc alium aſſumere genium videbatur, cito liberabatur pectus, facilior evadebat reſpiratio, plenior pulſus. Colore ex flavo rubeſcenti tunc ſuffundebatur cutis, lingua aridiſſima dentes cruſta fuſca obducti, auditus abolitio, halitus oris foetidiſſimus cadaveroſus, calor cutis mordax, delirii in ſoporem ac deinde in lethargum tranſitus accedebat. Hi per plures hebdomades abſque ſenſibili mutatione decumbentes, aut lentiſſime abſque vera criſi vel metaſtaſi ſanitatem recuperabant, vel, præcipue habitus debilis aut venæſectionibus prægreſſis exhauſti, circa 5

vel

vel 6tam hebdomadem moriebantur. Menſibus Auguſti ac Septembris aliam indolem aſſumebat morbus. Mentis viriumque cita proſtratio, vomitus, ſudor in morbi initio, non amplius obſervabantur, nec expectoratio halitusque foetidus: Menſe Octobris plane non de ſolitis Peripneumoniis recedebat; ejectionem ſanguinolentam circa quintum vel ſeptimum morbi diem excipiebant ſudor ac urina critica, & ægroti 14 vel 21 dierum ſpatio ſanitatem recuperabant.

Ab initio naturam epidemiæ ignorans, ob obvia inflammati pulmonis ſigna ſanguinem pluries miſi, ac reliquam methodum antiphlogiſticam ſtrenue adhibui. Venæſectiones breve levamen adferebant, & aucta deinde vehementia recrudeſcebat morbus, in nonnullis ſub ſanguinis miſſione minor & rarior, in aliis crebrior ac inæqualis evadebat pulſus, ſanguis miſſus in nonnullis cruſtam albam, craſſam, tenacem, in aliis tenuem cineritii coloris monſtrabat, craſſamentum plerumque ſatis bene cohærebat; nulli iteratam ſanguinis detractionem abque ſenſibili deterioratione ferebant; nec veſicatoria poſt ſecundam vel ter-

tiam ſanguinis miſſionem loco dolenti admota profuerunt, neque magis Camphoræ, Tartari emetici Sulphuris Antimonii aurati refractæ doſes profuerunt. Inter 5 & 9 diem in putridam diſſolutionem tranſibat inflammatio, & quo frequentior anteceſſerat venæſectio eo citius moriebantur ægroti. Ne unicus quidem ſeptimum morbi diem attingebat, cui ter quaterve vena ſecta fuerat.

Infausto hoc eventu edoctus curam antiphlogiſticam huic epidemiæ non convenire, methodum mutavi. Loco V. S. mox emeticum ex Tartaro Stibiato porrigebam, totumque latus adfectum a ſpina dorſi ad ſternum usque veſicatorio obtectum curavi. Statim deinde poſt effectum emetici decoctum Corticis Peruviani cum mixtura acida camphorata alternatim dabatur, ita ut intra 24 horarum ſpatium Camphoræ gr. xxiv. & extractum ℥ij Corticis aſſumeret æger. Quibus expectoratio difficilis ſuccedebat ſimul emulſionem oleoſam c. Oxim. Squillitico aſſumebant. Soporoſis repetita emetica porrigebantur, & plura veſicatoria imponebantur. Hæc methodus gangrænam avertebat decumbentium haud nimis de-

debilium, ac tempestive ad Nosocomium delato, rum, nec prægressa sanguinis detractione nimis debilitatorum: expectoratio melior succedebat in plurimis: reliquis 8 infusum Senecæ porrigebatur, de quo remedio tamen præterlapsis 24 horis, ob vehementer aucta symptomata desistere cogebar: melius granum Kermis mineralis ʒ de die cum saccharo sumptum expectorationem promovebat; optimum tamen successum præstitit Mixtura e ʒijGi. Ammon. ʒiij aceti squillitici cum ℥vj aquæ & saccharo, per Nycthemeron assumta: multi sub ipsa ejectione purulenta continuato hoc remedio sanitatem recuperabant, adhibito tamen simul infuso Corticis. In 12 ægrotis status phthisicus remanebat, inter hos 6 dato oleo Asphalti, ac infuso corticis sanitatem recuperabant; 2 fere restituti otalgia vehementissima corripiebantur, quam derivantibus ac revellentibus variis sedare frustra tentavi; accesserunt deliria convulsiones, ac ægroti moriebantur; hi pulmones ad adspectum sanos, pus vero effusum in ventriculis cerebri lateralibus adfecti lateris habebant, in 4 reliquis omnem medicinam superabat morbus, in uno balsamus Capaibæ le-

vamen adferre videbatur, magna puris quantitas in hoc per urinam ejiciebatur per integrum mensem, mane unius diei ægrotum, haud mentis compotem, facie pallida, labiis plumbei coloris, pulsu celerrimo tremulo, abdomine immaniter expanso, extremis frigidis, urinæ alvique excretione involuntaria, inveni, horæque spatio animam efflavit; in hujus abdomine, aere expanso, sanies purulenta foetida, intestina inflammata & variis locis gangrænosa, foraminulis obsessa reperiebantur, pulmones sani.

Illi, in quibus circa 5 vel 7 diem diarrhoea putrida aliaque distincta putridi genii signa antea recensita accedebant, mox uti febre putrida vera laborantes tractabantur, emetica reiterabantur, cui scopo Ipecachoanha magis quam Tartarus emeticus satisfecit, deinde quovis mane Rhei ac Cryst. Tartari āā gr. xv porrigebantur, reliquo die noctque ℥iv corticis decoctum adsumsit æger: circulatio interdum 40. 50 gtt. liquoris nervini incitabatur & potu vinoso acidulo: plura vesicatoria minus excitabant pulsum quam raph. rustic. contusus suris ac brachiis impositus, porro aeri libero quantum

tum fieri potuit exponebantur ægri. Sub horum remediorum continuato uſu absque metaſtaſi vel criſi ſenſibili 5--6 hebdomadum ſpatio lente ſanitatem recuperabant ægri. Serius ad Noſocomium allati ſeu V. S. debilitati fere moriebantur. Hujus generis ægrotorum numerus fuit 27, quorum 8 mortui ſunt. Menſibus Auguſti ac Septembris oppreſſiones pectoris ſub initio morbi vehementiores Venæſectionem ſuadere videbantur, quæ ob putreſcentiæ metum caute quidem inſtituebatur, moleſtiæ tamen ſub inſpiratione eam nunc pluries reiterare cogebant, ſanguinemque uti in Peripneumoniacis eſſe ſolet, monſtrabat. Eventus quoque docuit Venæſectiones, præteritis menſibus pernicioſas viſas, nunc omnino in hoc morbo ſalutares eſſe; plurimi quoque ægroti ſub mera methodo antiphlogiſtica ſanitatem brevi tempore recuperabant, nec ad Gi. Ammoniacum & Squillam pro expectoratione promovenda, recurrere opus fuit.

E toto numero inflammatione pulmonali laborantium, 185 nempe, qui Noſocomium nauticum anno 1779 ingreſſi ſunt, 75 erant e Dioeceſi

Bergenſi

gensi, 20 e dioecesi Agershuusiensi, 25 e Christiansandensi, 10 e Stavangriensi, 10 e dioecesi Nidrosiensi Norvegiæ, 15 e Jutia orientali, 20 e Jutia occidentali, 5 e Dioecesi Slesvicensi, 10 denique nautæ Havnienses, unde liquet, quod sæpius observavi, Bergenses inter omnes danici imperii incolas minime alienum coelum perferre, maximeque plurimis morbis obnoxios esse.



VII.

VII.

RELATIO MORTIS SUBITÆ GENII MORBOSI SUBDOLI, & VISORUM IN CADAVERE DEFUNCTI APERTO

REG. SOCIETAT. MED. HAUNIENS.

OBLATA D. 8. FEBRUARII 1781.

UNACUM MONITIS CIRCA

DIAGNOSIN ET PROGNOSIN DIFFICILES

MORBI ILEI

PER

ARNOLDUM NICOLAUM AASHEIM,
M. D. & Profess. Design. Societat. Membr. Ord.

PARVAM discordiæ scintillam, contemptu Politicorum primo intuitu dignam, magnum sæpius inter Gentes accersisse bellum, veneranda testatur antiquitas, confirmat recentior ætas, iterum inculcat Nostra: Fata dantur Gentium totarum, quæ sortem mortalium, cum morbis conflictantium, ectypam pingunt luculenter satis: Causam similitudinis horum *educationi* adscribas, sis, vel con-

confuetudini secum, rapidi ad inftar fluminis, omnia trahenti; Abftrufiorem tertiam querere cuique licuit, per me licebit. Studium fimulationis eo ventum eft, ut nobis fimulemur ipfis, noftræque faluti, immemores præcepti NASONIS: *Principiis obfta: Sera Medicina paratur, dum mala per longas invaluere moras.* Quot nobis obveniunt Cives, qui poenas luunt, vix, nifi in termino vitæ, folvendas, aufus temerarii, vel neglectus ad primas morbi futuri fcintillas? Sibi relictus, aut minoris habitus, morbi fomes, crefcit eundo, altasque agit fola mora radices. Perfonam ludit morbus, longo tempore neglectus, donec tandem dicto citius ad exitium ruens, qua data porta, præceps, intra horas accelerat mortem, quæ non fperabatur nifi poft annos; cave vero, ut ægro foli, ejusque incuriæ, exitum funeftum omnem vitio vertas: Quin nimium potius ne credas ubique colori morborum, cafibus tibi antehac obviis, nec fignis per AuctoresPrincipes notatis: *Quidquid* enim *delirant Reges*, *plectuntur Achivi.* Experientia, uti olim, fic haud ita pridem, edoctus, has didici cautelas: Ultimam, mihi

mihi circa finem anni proxime finiti obviam, judicavi Præceptorum Optimorum Attentioni haud indignam, credidi responsuram desiderio amicorum & Commilitonum præsentium, ejusque memoriam æstimavi cum finibus hujus Eruditæ Societatis, cui me interfuturum communis Vester consensus dictitavit, apprime concordem.

En Vobis igitur O! Optimi! *Mortis subitæ & Genii morbosi subdoli relationem*, currente calamo his consignatam literis:

Circa horam matutinam octavam cum dimidia diei 23 Decembris An. 1780 me adit juvenis, contubernalem, studiosum vix duo deviginti annos natum, morbo correptum, meæ, nomine contubernalis, commissurus curæ: Occupatus illo die ego præter modum variis, desidero, ut præsens morbi faciem, tempus durationis, atque præsentem ægri statum mihi enarraret. Ad quæ ille: Heri, inquit, pro more solito una mecum egressus est contubernalis, Prælectiones Professorum Facultatis Philosophicæ suetas audivit, prandium cum appetitu sumsit, & mox decoctum fabarum Coffeæ, sibi semper in deliciis, & quo

indies

indies ſemel vel bis frui ſolet: Rejectis paulo poſt per vomitum ingeſtis, incuſat cephalalgiam immanem, rigores dorſi, dolores pedum: Deinde frigus ſibi moleſtum fugaturus haurit cereviſiam largam, calidam, vomitu redditam: Die verſus veſperam vergente ſomnolentus obdormit, uti ſpatio trimeſtri proximo ſolitus erat: Evigilatus verſus mediam noctem domum una mecum it: Redux conqueritur vires quodammodo fractás, dolores pedum eosdem: Ingreſſus lectum ad horam matutinam tertiam dormit placide: Vigil Infuſum Theæ deſiderat, quo ingeſto ſurgit nudus, alvum depoſiturus & ventrem ſimul vomitu exonerans. Iterum his finitis lectum petit, ſomno fruitur, pro parte interrupto, & exituro mihi, ante quadrantem horæ, præter cephalalgiam aliqualem, dolores crurum modicos, frigus pedum, vomituritiones leves, ſiticulam, anorexiam, & debilitatem levem membrorum, nulla nominavit incommoda æger, ſatis alias alacris. Hæc, qui me adierat, contubernalis, cui abeunti fidem do, me ægrum circa meridiem viſitaturum.

STATA

Stata adveniens hora ægrum video in lecto pronum, ejusque caput, collum & dorsum retracta admodum, nec non corpus totum modice ad latus sinistrum curvatum, manum sinistram hypochondrio dextro affixam fortiter, corpus universum rigidum, frigidum, maxillas firmissime clausas, verbo, *juvenem mortuum.*

Obstupui ad hæc ego, longe magis autem contubernalis, qui, a quo me reliquerat, in eadem camera cum ægro considens, jam defunctum somno simplici crederat sopitum: Varia, ex desiderio contubernalis, tento, sed omnia frustra.

Solicite in statum ægrotantis intra horam nonam & meridiem inquirenti mihi narrant adstantes, illum hora nona miserrimos & acutissimos dolores capitis, pedum & lateris sinistri conquestum esse; circa horam 10 convulsionibus momentaneis correptum fuisse, deinde quietum mansisse ad horam undecimam, qua Infusum Theæ desideravit, oblatum avidissime hausit, urentem indicans faucium calorem: Somni avidus mox quieta jussit omnia, obdormivit, nec evigilavit unquam.

Lustrans totum corpus invenio abdomen modice expansum, rigidissimum & contra pressionem manus asseris ad instar renitens maxime circa regionem epigastricam, femora & crura lividissima.

Sectum me coram, & amicissimo, quem omnes boni amant, Medicinæ Doctore Exper. Dno. Joh. Cold Frimann cadaver sequentia offerebat notatu digna: Abdomen viridi colore extus tinctum erat: Truncus cadaveris totus sinistrorsum notabiliter inclinatus, & costæ spuriæ ejusdem lateris exteriora versus protrusæ: *Musculi abdominales* carnosissimi, crassissimi præ habitu musculoso totius corporis reliqui. *Omentum* pingue, breve. *Ventriculus*, ex parte quæ pylorum respicit, bilioso colore tinctus. *Hepatis* magnitudo naturalem paulo superabat: consistentia & color ejusdem boni. *Vesica fellea* parva, vacua. *Lien* magnitudinem solitam superabat altera tanta. Ad attactum, & scissus, durior naturali erat, ejusque color profundior. *Intestina tenuia* omnia, præter Duodenum, inflammata adeo, ut purpureum referrent colorem: Vasa eorundem sanguine turgidissima: In locis inflammatis longiores

spha-

ſphaceloſi tractus interpoſiti erant. *Appendix vermiformis* longitudinem præ ſolita duplam habebat. Fibræ muſculares *inteſtinorum craſſorum* viſu diſtinctiſſimæ erant, præcipue illæ longitudinales Coli transverſi & deſcendentis notabiliter extra ſubſtantiam inteſtini prominebant. *Glandulæ Meſenterii* paſſim induratæ. *Pancreas* durum. *Ren ſiniſter* longe ſuperabat ſolitam lienis magnitudinem, durus erat, ſanguine turgidus, & circa pelvim exulceratus, largamque ſatis continebat puris ichoroſi copiam: *Dextri* magnitudo ſolitam æquabat, digito tangenti naturalem offerebat duritiem, nec exulceratus interne, nec collecti puris ulla veſtigia monſtrabat. In cavitate *pectoris* dextra aliquid ſeri cruenti effuſum vidimus: Ipſe *Pulmo dexter* minimus, *ſiniſter* magnitudinis ſolitæ: Ambo per totam ſuperficiem externam nodoſi & indurati. Hydrops *Pericardii* largiſſimus aderat. *Cor* ſanguine usque adeo repletum erat, ut & ſolito longe majus eſſet, & ejus parietes vix quartam conſuetæ craſſitiei partem haberent. *Dura mater* cerebri craſſiſſima: *Vaſa Cerebri* ultra modum ab infarcto ſanguine

turgebant: Quid quod! ipſa *ſubſtantia medullaris* rubicunda erat: *Ventriculi* omnes aquam largiſſimam continebant. *Plexus choroideus* admodum rubebat. *Tentorium cerebelli* ruberrimum. In *cerebello* inflammatio longe magis ſuperficialis erat. Superficies externa cerebri tegebatur ubique, maxime juxta tractum *ſinus longitudinalis* (qui haud adeo repletus erat) materia alba granulata. *Nullum extravaſatum in cerebro invenimus; nec ullas inflammatorum inteſtinorum coarctationes*, quarum in Ileo morbo præſentiam admittunt ſcriptores Medici complures.

His viſis in vitam ægri anteactam inquiro ſedulus, quam ſequentibus pingunt contubernalis, & reliqui, quorum converſatione uſus fuerat:

Juvenis, alacris ingenii, per dimidium, quo Hauniæ vixerat, annum ſolis indulſerat ſtudiis: Melancholicus in parvo amicorum circulo hilaris ut plurimum, in majoribus ſocietatibus triſtis & mutus erat: Venerem, Bacchum, vigilias protractas, & omnia quæ, ex ejus mente, ſanitati obeſſe poterant, fugiebat cane pejus & angue, modo Decoctum fabarum Coffeæ excipias,

quo

quo ſemel indies vel bis fruebatur. Sub itinere maritimo a Norvegia Hauniam verſus tuſſi corripitur catarrhali. Huc advectus queritur ad tuſſin acceſſiſſe diarrhoeam profuſam, quam ſimul & ſemel fugaturus æger ſumſit proprio marte, unoque hauſtu, Pulveris Radic. Rhei Unciam dimidiam. Suſtulit diarrhoeam Rheum; ſucceſſerunt autem abdominis dolores modici, per intervalla ſilentes & redeuntes ad mortem usque, quos cum tuſſi rebelli unâ neglexit juvenis, alias ſanus. Dolor abdominis rediens ſemper mitigabat tuſſin, quæ contra hæc increſcebat juxta inducias dolorum ventris. Oedemata crurum parva geſſerat per annum, pridie ante mortem diſparentia. Dolores artuum vagos, leves nominabat interdum.

En faciem morbi, qualem fando accepi! En ſtatum internum corporis ſubito defuncti, quem vix ſuſpicari licuerat! Viſæ horum inteſtinorum inflammatio atque gangræna firmant auream Simsonis, Swietenii, Morgagni, Pringlii & Noſtri Callisenii Regulam: *Ne decipiantur Medici, credentes nullam inflammationem adeſſe, ſi febris abſit.* Aut etenim plures dantur tenuioris

inteſtini morbi inflammatorii, ſpecie diverſi, aut fallunt & fallunt GALLENUS; CELSUS, HOFFMANNUS, MEADIUS, BOOERKHAAVIUS, SYDENHAMUS, VOGELIUS, & quotquot de Ileo morbo ſcripſerunt Auctores innumeri: Acutiſſimus MORGAGNI *ileoſos* vidit *cum vomitu ſtercoreo & alvo arctiſſime clauſa; cum vomitu bilioſo & alvo aperta; ſine vomitu cum alvo laxa, & inappetentia vix notatu digna; cum doloribus enormibus fixis, cultri ſcindentis ad inſtar; absque dolore, pulſatione, aut ullo caloris interni ſenſu.* Illuſtris PRINGLE: *Quam communiſſime*, inquit, *Ileus ſtipatur febre valida, doloribus atrocibus, & omnibus, quæ turba Auctorum notavit, ſymptomatibus horrendis: Contingit attamen interdum ileoſos videre absque vomitu, absque febre, absque dolore, obſtipatave alvo. Æque certo in hac ilei ſpecie, quam in horrenda illa communi, ſubſecutam gangrænam vidi.*

ECQUIS fidem tantis teſtibus denegaret? Stat adhuc a parte Illorum argumentatio ab exemplis: Videmus quoquo die ophthalmias tunicarum corneæ & adnatæ oculorum absque febre, absque dolore ſenſibili organi alias acute ſentientis: Videmus

demus ophthalmias internas tunicarum choroideæ & nerveæ ægros cruciantes, febresque cientes inflammatorias. Tunica cornea est cellulosa pervia: Adnata, simplex tunica, dilatationi vix firmiter resistit: Cornea nervis caret. Nervea intestinorum tunica mera est cellulosa, laxa satis. Peritoneum simplex est membrana, extensionis capax. Villosæ tunicæ tot dantur nervi acutissime sensiles, quot gaudet punctis. Futuri doceant dies, utrum detur *Ileus Internus ab inflammata villosa*, dignoscendus symptomatibus gravissimis per Auctores Medicos notatis: An detur alius *Externus*, uti facie morbi, sic specie, ab interno diversus, solis Sagacis ALBERTINI regulis ex *pulsu*, *abdomine*, *& facie ægri* suspicandus? Ex pulsu quidem humili, debili, sibi subobscure dissimili: Ex abdomine autem tenso & duro, & dolorifico; Ex facie denique insoliti aliquid, sed in aliis aliud, interdum oculos exterrefactos quasi, jam livorem quendam circa labra &c. ostendente. His ad minimum fultus signis Magni Sui Præceptoris Illustr. MORGAGNUS prognosticon condidit funestum, eventu confirmatum,

diſſentientibus aliis medicis. Hypotheſi ſubſeribit MORGAGNUS; Huic ego, ſi parvum Magno componere licet.

HIS poſitis valet regula prognoſtica BAGLIVI, experientia TULPII firmata: *Gravi Iliaco ſi ſuperveniat alvi fluxus, paucis poſt horis morietur, nam ſphacelata ſunt omnia, hinc letalis fluxus.* Diſcant ex noſtro exemplo, & ſignis morbi obſcuris, Practici præceptum VALSALVÆ aureum: Ut ſcil. *hoc in caſu, ſi in ullo, cautiſſime cum VSectione mercetur, ne ſpeciem dent ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius interimeret brevi.*

QUOD ſi detur inflammatio inteſtinorum absque febre comite: Quid obſtat, quo minus chronica ſtatuatur inflammatio, ab acuta diverſa? Talem in oculis videmus toto die: Aut inteſtinalis ſimilis obvenit MORGAGNO, aut ſphacelum ſubitaneum, qualis a FERNELIO in pede viſus, & in cruribus noſtri ægri obſervatus fuit, inteſtina corripuiſſe fide MORGAGNI aſſero. Mihi perinde eſt, utrum ſeminia inflammationis, quam notavi, prima, Rheo adſcripſeris nimio ingeſto & fluxum materiæ rheumaticæ ad inteſtina derivanti, vel minus? Utrum

inflam-

inflammationem dictam instabilem judicaveris, nec ne? *Facile*, verba sunt latinissimi CELSI, *facile id malum redire consuevit, & cum frigus subit, sive aliqua jactatio, nisi bene jam confirmatis intestinis, revertitur.* Equidem pus ichorosum renis sinistri, in nostro visum: Apoplexia subita absque extravasatione lethalis: Sphacelus crurum, monstri cujusdam, diu ante mortem intus aliti, suspicia dant.



VIII.

DE CEPHALALGIA RHEUMATICA HIRUDINIBUS EXTEMPLO SUBLATA.

Auctore J. C. Tode,
M. D. & Prof. Design. Soc. Membr. Ord.

Vir juvenis xxviii circiter annorum, alto quondam multum jactatus, navis mercatoriæ gubernationem ſuſcepturus, omnia ad inſtantem navigationem diſponens, hinc matutinis horis per carinam decurrens caputque aeri inclementi exponens immani corripitur cephalalgia.

Sanissimus cubitum iens, ſolito citius expergiſcitur, crudeli capitis dolore tantum in modum adfectus, ut ſui fere inconſcius eſſet. Per totum diem excurrit malum, verſus veſperam tamen paulo minus urget, nec impedit, quo minus æger, negotiis fatigatus, obdormiret. Altero & tertio die eadem luditur tragoedia, ſed tanta cum violentia, ut miſer fere deliraret, & caput parietibus adverſum illideret.

Tandem

Tandem ancoras jamiam ſolutura naui, ad me venit & ſolamen quærit. Suſpicabar vini ingurgitationem vel ſaburram ſtomachalem; ſed ſapor oris, lingua, beneficium ventris cet. nihil tale comprobabant. Dolor ſimul erat pulſatorius, oculi rubebant. Venæſectio nihil boni præſtiterat.

Rheumatismum nihilo ſecius pro cauſſa mali admittens, antimonialia & camphorata ſuaſiſſem, dummodo ſimilia ægroto in tali rerum ſtatu conveniſſent.

Jussi itaque, ut hirudines 3 vel 4 utrique tempori admoveri curaret. Quibus adplicatis & ſugentibus, illico ſenſit miram commotionem in parte affecta: dolor pedetentim receſſit & intra horam evanuit. Remanebat tamen aliqua ſenſilitas partis ad attactum.

Perfecte levatus accurrit, acceptum ſanguiſugarum beneficium narrat, earumque laudes ad ultimas, quæ dicuntur, inſulas ferre vovet, conſilium remunerat, vela ventis dat & æquor dividit.



IX.

IX.

CONTINUATIO
DIARII NOSOCOMII FRIDERICIANI
pro An. 1781.

Auctore FRIDERICO LUDOVICO BANG,
M. D. & Prof. Def. Nofoc. Fridr. Med. Ord.

JULIUS.

FEBRES rariores fuerunt, & earundem nullæ adeo numerofæ, ut epidemiæ nomen mereri potuerint.

Ex intermittentibus fequens memorabilis fuit: Vir 28 annorum feptem hebdomadibus mox tertiana mox quartana & demum quotidiana detentus erat febre fimulque quinque proximis feptimanis tumorem latum durum obtufe dolentem in regione fplenis perceperat; alvus erat fegnis & fapor panis amarus; ultra menfis fpatium adhibuit refolventia interna, rheum, falina, faponem cum gummi ammoniaco, Decoctum graminis

nis & taraxaci, quibus febris disparuit, verum non mutatus permansit hypochondrii tumor. Huic ideo drachmam unguenti neapolitani primo singulis dein alternis vesperis applicui, cujus usu tribus hebdomadibus tollebatur.

In nonnullis putridorum principium mucosum in primis viis valde abundavit, vertigo, debilitas, lingua mollis sordida, sapor malus, anorexia aderant, nulla autem notabilis sitis aut celeritas pulsus, emetica ter quaterve repetita atque interpositus diebus a vomitu vacuis cremor tartari solus vel cum pulvere rhei levamen & restitutionem plenariam absque cortice attulerunt.

Dolor abdominis integri constans attactum haud tolerans cum siti insigni, alvo naturali, pulsu tenso vix celeri triduo in juvene adfuit, atque venæsectione quinquies instituta, frequenti inunctione abdominis per linimentum volatile & emulsione camphorata septem diebus tollebatur. Inflammationem abdominalem fuisse hunc morbum extra dubium ponunt medicatio & symptomata ejusdem, sedes autem inflammationis propter absentiam vomitus & liberum alvi fluxum

haud

haud in tubo inteftinali, fed potius in peritoneo aut omento confuadente extenfione doloris ftatui debet.

GRAVIOR & notabilior erat fequens inflammatio: vir 24 annorum per aliquot hebdomades laboraverat dolore modico cardiæ, qui biduo proximo exacerbatus fuit cum vomituritione, fiti, opftipata alvo, pulfu forti, intolerantia attactus; vena duodecies intra novem dies fecta, camphorata, veficatorium cardiæ applicitum, clyfmata oleofa morbum haud diminuerunt; quid quod dolor increvit, nil ingeftorum præter meram aquam tolerabile erat, vomitus & fingultus frequenter recurrebant & manus frigefcebant; primum folatium & fpem vix fperandæ falutis fecit cataplafma emolliens cardiæ applicitum, fub cujus ufu fenfim decrevit dolor, ingefta admifit ventriculus & clyfmata intentum præftiterunt effectum; imo etiam tolerabilis fiebat pulvis eccoproticus e fale polychrefto & lacte fulphuris, quo inteftina a diu retentis fordibus depurata fuerunt; nutritus dein tenuis blandus fanationem complevit.

INSANIA

Insania melancholica ab amore infortunato adfuit in viro 30 annorum cum continua mutitate, excrementis in lecto, oculis ſplendentibus immobilibus tamen absque febre, poſt hirudines temporales & veſicatoria interrogatis reſpondebat, reliqui autem mores & diſcurſus prorſus ſtulti manebant, donec poſt uſum fruſtraneum variorum remediorum propinatum fuerit acetum vini ad unciam dimidiam ter indies, quo per menſem adhibito mens prorſus reſtituta fuit.

Tumor durus ad capitis infantilis magnitudinem in ipſo utero per explorationem tam abdominalem quam vaginalem inventus fuit apud feminam, quæ ante dimidium annum partum ſuſtinuerat, poſteaque dolores vagos ſæpe ſat graves in abdomine paſſa erat, proximis hebdomadibus ſimul intumeſcebant crura & efflorеſcentia ſcabioſa paſſim in corpore comparebat, initio collectionem quandam materiæ fluidæ in utero ſuſpicans ad hanc expellendam cremorem tartari ſolubilem, pilulas balſamicas nec non balneum vaporis atque injectiones aquæ tepidæ in uterum præſcripſi; Hæc autem inutilia compertus dedi pilu-

las

las e gummi ammoniaco, ſapone veneto extracto cicutæ confectas ad grana xv ter indies ſumendas; poſtea ſenſim decreſcere tumorem obſervavi, ita ut poſt duos menſes prorſus evanuerit ſub effloreſcente copioſa ſcabie humida ſed absque effluxu ullius materiæ ex utero.

Ossiculum rotundum poroſum nucis minoris magnitudine, quod ipſe vidi, in milite per laryngem intruſum fuit & mox infra eandem in trachea quinque menſibus immobile reſtitit tuſſin continuam & dyſpnoeam excitans; demum brevi tempore ante introitum in noſocomium vi tuſſis ejectum fuit; attamen ægrum inveni de dolore tracheæ querentem tuſſientem cum ſputo purulento, ſiti, æſtu, ſudore nocturno, pulſuque febrili; per uſum ſucci cucumerum tamen bene convaluit & forſan reſtitutus foret, ni ſupervenerit apoplexia non immerito prægreſſæ diuturnæ & conſtanti tuſſi adſcribenda, qua ter reverſa periit æger.

Augustus.

AUGUSTUS.

ACUTORUM morborum magnus erat numerus; Inflammatorii plurimi sed diversam habentes sedem sc. in capite, pectore, hepate, tubo intestinali, Hepatitis in nonnullis notabilis erat propter concursum symptomatum biliosæ febris, unde tam diagnosis quam medicatio difficilis reddebatur; pressorius enim & obtusus cardiæ dolor, qui præcipuum indicium inflammationis hepatis sistit, in plurimis biliosis etiam adest, adeo ut conspirantibus reliquis putridæ signis sapore amaro, lingua sordida, vertiginosa & stupida capitis affectione incertum fiat judicium, an mera biliosa febris aut simul inflammatio hepatis præsto sit; tantum ex incremento doloris post citatum vomitum sanguinis indole phlogistica & urinæ saturato colore in tali casu præsentia hepatitidis derivanda est. Apud unum ægrotum omnia signa putridæ nec non allatum dolorem pressorium cardiæ habentem post porrectum emeticum icterus aliaque manifesta signa inflammati hepatis supervenerunt, nec ulla ratione salvari potuit æger.

Phrenitidem epilepticam obſervavi in juvene, qui ad nos ductus jam quinque diebus laboraverat intenſiſſima cephalalgia, loquela difficili quaſi apoplexia tacti ſiti inſigni, pulſu celeri tenſo, lingua admodum ſordida, initio morbi vomitus ſpontaneus cum diarrhoea adfuerat; poſt miſſum ſanguinem per hirudines temporales juxta mentem Celeberrimi Stolle originem morbi gaſtricam credens emeticum porrexi cum largo effectu ſurſum & deorſum; morbus vero perſtitit cum pulſu celeriori & fortiori; per intervalla irregularia ſanguis ſummo impetu ad caput ducebatur cum rubore faciei alias pallidæ, venis intumeſcentibus, delirio gravi nec raro epilepſia, quales inſultus pluries per diem contingere potuerunt; extra paroxyſmos ſtatus perdurabat febrilis cum ſumma inquietudine & excrementis in lecto; vena ideo fuit ſecta, ſanguiſugium temporale repetitum epithema ex aqua frigida capiti deraſo aſſidue applicitum intusque ſummum in febribus antiſpaſmodicum moſchum ad granum bihorio præbui; ſub quibus nono morbi die ſomnus acceſſit aliquot horarum, poſteaque nil præter ſtu-

porem

porem & gravitatem insignem capitis querebatur æger, quæ autem lapsu temporis cessarunt.

Febres biliosæ & putridæ frequentiores, quam mense prægresso erant; in quibusdam sputum purulentum crisin morbi constituit, unus devicta febre convalescens tamen permanebat debilis, quietem amans cum tussi & dyspnoea, per alia exempla edoctus exploravi & inveni vera scorbuti indicia maculas lividas crurum, & gingyvas cruentas, quæ decocto chinæ cum elixirio vitrioli atque pomis citrinis facile tollebantur; talem febris putridæ imprimis protractæ sequelam observavi sæpius, illamque mentione haud indignam censeo, ut origio infirmitatis similium convalescentium eo facilius detegi & tolli queat.

Intermittentes tertianæ nonnullæ, quarum tres pulvere radicis Gei Urbani juxta methodum Celeberrimi Buchhave sanabantur.

Carosa quotidiana laboravit juvenis 24 annorum; tres sc. paroxysmos & singulos cum lipothymia junctos passus erat, indeque contraxerat paralysin cruris sinistri extra paroxysmos durantem cum vertigine insigni, sapore malo oris, op-

 pressione

pressione cardiæ, lingua sordida; præmisso emetico dedi corticem peruvianum, illoque reventum febris impedivi; remansit autem paralytica cruris debilitas, quæ demum post duos menses potissimum per frictiones & cucurbitas siccas curabatur; verum notabilis fuit dolor tensivus satis acerbus in tractu nervi sympathici magni lateris affecti, quem æger sub restitutione cruris persentiit.

Diarrhoea trimestris indolor cum emaciato corpore & debilitate virium instituta per ipecacuannam emesi & dein adhibito pulvere radicis lysimachiæ rubræ intra aliquot dies cessavit succedente larga salivatione.

Meteorismum juxta Sauvage s. tumorem totius regionis supraumbilicalis non dolentem pressioni cedentem, post ingestos cibos adauctum sibi attulerat vir quidam per haustum frigidum tempore purgationis alvinæ sumtum, & jam sex hebdomadibus passus erat illæsis interea alvo, appetitu & reliqua sanitate, infusum ligni quassiæ, quod simili morbo profuisse recordabar, non juvavit; verum multo meliorem effectum pulvis corticis peruviani cum rheo in aqua menthæ piperitidis sumtus edidit.

Para-

Paralysin brachiorum post colicam in insulis americanis passam apud tres viros observavi, quae solitis in tali casu auxiliis frictione, urticatione, balneis stiltatitiis & vaporariis alternatim applicitis, & electri satione sanabatur; qualem experientiam ad prognosin de hoc morbo determinandam afferre non inutile videtur.

Astma 6 hebdomadum irregulariter periodicum in puella 25 annorum ex ignota causa ortum Kermis mineralis grano uno bihorio porrecto sanabatur, sumto autem clanculum potu caffe cum pristina vehementia redibat; hinc praemisso vomitu per tartarum stibiatum mox laudatus pulvis plenariam aegrae restitutionem absolvebat. Saepius perniciosam vim potus caffe in suscitandis paroxysmis astmaticis & egregiam virtutem kermis mineralis in compescendis imo eradicandis iisdem compertus sum.

Ecstasi melancholica juvenis 22 annorum triduo affectus 6to augusti nobis adducebatur nil loquens, interrogatis haud respondens, oculos apertos fixosque tenens, nulla membra movens absque aestu aut pulsu febrili; de causa morbi nil aliud

aliud nobis relatum fuit, quam quod nuper e germannia Hauniam advenerit & forsan tristitia ob derelictos parentes commotus fuerit, illico sanguis missus & clysma applicitum fuit alteroque die emeticum, cujus effectus purgatio tantum fuit, præbui; eodem die insultum epilepticum patiebatur; posteaque status pejor reddebatur prorsus absque somno, absque ingestione ullius rei præter paucissimam potiunculam acidam cum urina in lecto missa & alvo semper per se obstipata; sangvisugium temporale, vesicatoria, epithema frigidum capiti, pediluvia, enemata morbum immutare haud valebant, sed corpus indies magis consumebatur usque ad diem mortis sextum septembris. Dissecto cranio venæ piæ matris sanguine enormiter turgescebant; in ventriculo laterali sinistro maxime vero in basi cranii notabilis aderat copia seri sanguinolenti; in abdomine intestina tenuia valde angustata invenimus, colon transversum multis scybalis duris repletum & circa S romanum adeo contractum, ut vix ullus transitus contentorum possibilis videretur, vesica fellea bile nigra plena erat, qua colon vicinum ad modum tingebatur.

SEP-

SEPTEMBRIS.

INTERMITTENTES complures quotidianæ initium habuerunt a febre biliosa, quæ in progressu suo & post usum evacuantium continuam naturam cum periodica commutarunt; caput in illis solito pejus afficiebatur vel enormi dolore vel delirio sub paroxysmis gravissimo. Quidam dolore occipitis & nuchæ typum quotidianæ gaudente laboravit, & vesicatorio dolenti loco applicito sanabatur.

DYSENTERICI non pauci præsertim a Castello ad nos ferebantur; in omnibus dejectio alvi erat frequens torminosa sanguineo mucosa cum pulsu febrili; in nunnullis simul aderant symptomata biliosa amarities oris, & lingua sordida; curationem fere semper incepi a vomitu per ipecacuannum producto; altero die drachmam dimidiam pulveris rhei mane & vespera, quibus interdum adeo decrevit morbus, ut repetitio rhabarbari tertio aut quarto die raro opus fuerit, sed tinctura rhei aquosa sola vel cum pauxillo Liquoris anodini mineralis ad perficiendam sanationem suffecerit.

In pluribus ægrotis gravior erat morbus poſt emeticum & pulverem rhei non miteſcens, quo obſervato ſtatim refugium habui ad ſequens: R. pulv. corticis peruviani unciam unam rhei electi drachmam unam rob. ſambuci unciam unam ſyrupi diacodii qv. S. ut fiat electuar. unde cochleare minus bihorio vel ſub gravi morbo omni hora & dein decreſcente morbo ter quaterve indies porrigebatur, donec prorſus reſtitutus fuerit æger. Inter omnia ſane permulta hactenus contra dyſenteriam tentata remedia nullum hoc electuario præſtantius inveni.

Tres caſus ſingulari mentione dignos cenſeo: Inflammatoriam dyſenteriam, quæ alias perquam rara & cognitu difficilis eſt, obſervavi apud virum, qui poſt ingeſtam cereviſiam forſan pravæ indolis alvi fluxu doloroſo ſanguineo correptus erat; ſuſpicionem inflammatoriæ morbi indolis mihi dederunt dolor conſtans in regione hypogaſtrica poſt depoſitam alvum haud miteſcens, ſitis inſignis atque continuatio ejusdem morbi ſedis & gradus poſt laxans mannatum exhibitum; judicium meum corroboravit ſanguinis phlogiſtici

miſſio

missio levatoria; exinde enim mox minutis dolore & dejectionum numero repetii venæ sectionem, emulsionem camphoratam præscripsi, itaque paucis diebus absque alia medicina morbum sustuli.

Gravissima dysenteria laborans puella 23 annorum sexto morbi die nobis adducebatur; excretio alvi numerosissima erat fere mere sanguinea cum singultu ab initio quidem præsenti, jam vero admodum frequenti, pulsu celeri debili, abdomine ab attactu dolenti, nuperque porrectum emeticum nullum effectum aut levamen produxerat; electuarium supra laudatum cum sex granis moschi orientalis propinatum fuit, unde singultus & dejectiones indies decreverunt, adeo ut elapsis sex ab introitu diebus sanata fuerit ægra. Ischuria stranguriosa molestissima in viro quodam post dysenteriam mox devictam oriebatur ægrotum indesinenter ad matulam pellens, mictumque tamen prorsus impediens; urina per catheterem educta prorsus naturalis erat, atque in reliquis omnibus se bene habuit æger; varia tentata remedia venæ sectio, balneatio emolliens pudendorum, diuretica, clysma laudanum nullius effectus aut levami-

 nis

nis erant; demum porrectum laxans mannatum postеaque vesicatoria suris applicita liberum reddiderunt urinæ fluxum; successit autem dolor inguinis sinistri cum tumore scroti & testiculi sinistri; bina venæ sectione & applicito sacculo aromatico tollebatur dolor superstite tumore aliquali duro testiculi, qui per aliquod tempus unguento mercuriali illitus sanabatur.

Tympaniticus tumor abdominis universalis sonans dolens initio cum vomitu, dein absque illo, sed cum siti alvo quodammodo naturali, quamvis tres duravisset septimanas, paucis tamen diebus per venæsectionem vesicatorium toti abdomini applicitum & mixturam acido: camphoratam discussus fuit.

Epilepsiam in juvene 14 annorum a terrore ortam quotidie ad eandem horam matutinam recurrentem sanavit cortex peruvianus ut in intermittentibus exhibitus.

Fatuam sanavit acetum vini destillatum mensis spatio bis indies ad unciam dimidiam exhibitum.

Sectio.

SECTIO.

MILES 28 annorum fine sept. curis nosocomii tradebatur, postquam bimestri spatio afflictus fuerat dolore hyppochondrii dextri primo mense punctorio, dein gravativo cum intumescentia notabili attactum haud ferente in parte dolenti nec non dyspnoea insigni & tussi sicca; proximis quatuordecim diebus junctum erat frigus pomeridianum cum insequenti æstu & sudore nocturno; dum suppurationem hepatis statim & certo ex hisce deduxi symptomatibus, merum egi spectatorem morbi, qui cum decremento virium, tumore crurum & tanta gravitate lateris affecti, ut extra lectum se prorsus sustinere nequiverit æger, perduravit ad tertium novembris, quo æger subito sentiit defluxum materiæ Liquidæ ab hypochondrio affecto in pelvim, dolor hinc cessavit, sed supervenerunt vomitus, sudor pingvis, abdominis expansio fluctuans, summa debilitas cum pulsu vix sensibili; altero die per institutam paracenthesin duæ mensuræ purulentæ materiæ educebantur ex abdomine; tertio post paracenthesin die obiit ægrotus.

In

In aperto abdomine larga aderat copia liquidi purulenti brunni; inteſtinum colon in toto tractu valde expanſum, omentum extenuatum cum peritonæo coalitum, totus lobus hepatis dexter in ſaccum pure denſo plenum in ſuperficie exteriori disruptum mutatus, adeo ut modo parva pars ſubſtantiæ hujus lobi in ſuperficie concava ſupereſſet.

Octobris.

Dysenteria adhuc dominatur.

In uno exemplo inflammatoria erat ex iisdem detecta ſignis atque eadem ſanata methodo, ac de ſimili caſu menſis prægreſſi relatum eſt.

Apud alterum typum quotidianæ febris habuit morbus ante meridiem fere ſilens, poſt meridiem cum prægreſſo frigore recurrens noctuque perdurans; per ſe intelligitur, electuarium ſupra laudatum e dupla ratione citam attuliſſe opem, qualem virtutem etiam in reliquis dyſenteriæ caſibus oſtendere perrexit.

Opiatis raro opus habui aut uſus fui ſc. apud nonnullos, qui poſt uſum evacuantium & electuarii a morbo interdiu fere liberati erant ſed di-

arrhoea

arrhoea nocturna, somnum impediente affligebantur; hisce enim laudani liquidi guttæ XV in aqua cinnamomi vesperi sumtæ admodum profuerunt.

FEBRES Intermittentes maxime quartanæ adfuerunt sanatu difficiles, earumque una tam ad corticis quam radicis gei urbani usum prorsus incurabilis & demum per insequentem phthisin letalis.

PERIODICUM Astma omni nocte hora undecima recurrens & ad sextam matutinam protractum qua tuordecim diebus duraverat & brevi tempore per corticem sanabatur.

QUOTIDIANA duplici alter laboravit, sine dubio quia æger, ut ipse retulit, ad primum febris paroxysmum spiritum vini cum pipere ingesserat; cortex non ut fieri solet, simul & semel febrem fugavit sed sensim diminuendo tam paroxysmorum vehementiam, quam eorundem numerum ita sc. ut primo semel indies, dein alternis diebus & demum rarius irregulariter per levidenses rigores sese ostenderint.

PLEURITIDE jam octidua laboravit puella cum dolore fixo notabili pectoris sinistri, insigni dyspnoea, siti, tussi sicca, pulsu admodum celeri, nec

ullo

ullo hactenus auxilio usa fuit, sangvinis missionem mox præscripsi & quinquies repetii; decimo quarto morbi die affectio pectoris cessavit absque ulla expectoratione; illius autem loco mox surrexit dolor abdominis cum alvo obstipata; qui vena adhuc bis secta & vesicatorio abdomini applicito sublatus fuit.

Terminatio hæc pleuritidis transeundo in enteritidem mihi notabilis videtur, quia raro admodum accidit, licet non minus verosimilis sit quam transitus anginæ in peripneumoniam aut peripneumoniæ in phrenitidem, cujus exempla non adeo pauca tradit experientia.

Inflammationem ventriculi cum vomitu omnium ingestorum & dolore fixo cardiæ post sumtam tincturam catarticam obortam vidi & solitis antiphlogisticis sanavi.

Astma horrendum continuum cum summa anxietate suffocationem omni momento minitante, palpitatione insigni cordis nec alium quam erectum corporis situm permittens juvenem subito invasit post dolores rheumaticos brachiorum sponte retrogressos; vesicatorium pectori applicitum &

pulvis

pulvis e kermis mineralis & moschi orientalis ana grano uno confectus & omni hora exhibitus ægrotum ex orci faucibus eripuerunt, ita ut tantum modica restiterit pectoris oppressio cum tussi sicca, quæ suppuratione brachiorum per cantharides inducta diuque conservata, atque ita doloribus huc versus revocatis nec non usu decocti radicis senecæ sanata fuit.

Novembris.

Pleuritides ceteros acutos morbos numero superabant, communiter erant simplices & omnes sanabiles.

Putridæ febres non paucæ solito gravioris genii erant & præsertim terminationis insolitæ; omnes enim fere non nisi per metastasin in melius vel pejus judicabantur, postquam ad tres aut quatuor hebdomades oppressi jacuerant ægroti, oculos aperire coeperunt clariores, parumper appetere, linguam mollem, pulsumque minus celerem habere, verum affulgenti spei non nimis credendum esset, huic enim convalescentiæ initio mox jungebatur nova affectio topica, morbique a toto

ad

ad partem contractio interdum non minus gravis quam ipse morbus principalis.

Ad pulmones potissimum colligebatur morbi materies, quod ex ægroti dyspnoea & tussicula sub vigore morbi exspectandum erat, hæc enim molestia pectoris decrescente febre augebatur cum expectoratione vere purulenta plus minus spissa interdum foetida, sputum tale pluribus diebus fluere solebat, morbumque in salutem ægri finire; huic promovendæ crisi utile inveni sequens Decoctum R. rad. senecæ incisæ drachmas duas pulveris corticis peruviani unciam dimidiam, coque cum aquæ simplicis unciis duodecim ad octo, colaturæ adde syrupi altheæ unciam unam, dentur cochlearia duo bihorio; sputum quandoque admodum densum simul requirebat kermis mineralis granum bi v. trihorio cum sacharo exhibitum. Unicum e sputo tali largissimo foetido consumtum & necatum vidi. Accidit etiam, ut vires ad expectorationem haud suffecerint, atque ob eandem impeditam jugularetur æger; de illis quoque ægrotis desperandum erat, qui sputum e pulmonibus ad fauces adductum tamen haud exspuebant, sed continuo deglutiebant.

Per

Per inteſtina in nonnullis & ſemper ſalutariter exitum quæſivit morbus; modica alvi laxitas ſtatum morbi comitans ſpem hujus criſeos dare ſoluit; huic naturæ conamini electuarium e pulveris corticis peruviani partibus octo; rhei parte una, Syrupi diacodii v. chamomillæ qv. S. bihorio ad cochleare minus exhibitum quadrare credidi & comperi.

Caput in paucis maximo cum periculo petebat morbus; tunc facies intenſe rubeſcebat cum gravi delirio, oculisque ſcintillantibus; præſtitit hanc metaſtaſin avertere, quam jam præſentem curare; priori reſpectu hirudines tempeſtive temporibus admoti & epithema ex aceto frigido capiti deraſo applicitum ſcopo reſpondere videbantur.

Extremitas inferior dextra in uno Ægro Materiam metaſtaticam excepit; hujus tran poſitionis initium. Fecit dolor inguinis & femoris nec non ſtupor totius extremitatis; dein acceſſit illius tumor magis magisque adauctus maculisque vere ſcorbuticis notatus; in altero ſimilis contigit morbi transmutatio in tumorem chronicum unius cruris; ambos potius tempore quam medicamen

 tis

tis curavi timens, ne reducta per evacuantia metaſtatica materies novum inferret periculum.

Puella ſubitaneo delirio correpta de viro quodam Nicolao ſemper nugans, cantans, clamans multis aliis fruſtra tentatis remediis ſub uſu aceti vini reſipuit.

SECTIONES.

Vir 40 annorum d. 2do Novembris ad nos portabatur mutus, admodum inquietus cum pulſu febrili facie intenſe rubra, excrementis involuntario fluentibus, ſimulque relatum fuit, talem ſtatum biduo duraviſſe & ægrotum ante quatuordecim dies lapſum in capite paſſum fuiſſe, tamen absque inſequenti noxa usque ad præſentem morbum.

Caput mox a chirurgo perluſtratum nullum contuſionis aut fracturæ veſtigium habuit; hinc hirudines temporales, epithema frigidæ aquæ capiti admotum, pediluvia, venæ ſectio nec non moſchus intus exhibitus in uſum vocabantur, quibus intra octo dies mens & loquela redierunt, attamen æger queſtus eſt vertiginem, dolorem occipitis ad tempora propagatum; per intervalla delirabat & inſultus epilepticos patiebatur; ultimis

vitæ

vitæ diebus junctus fuit dolor hypochondrii dextri, nulla venæ sectione mitigandus, cum tussi molesta, lingua aphtosa & strepitu pectoris, sub quo d. 21 Novembris moriebatur.

Cranium demortui prorsus nullam læsionem habuit; superficies interna duræ matris ubique rubescebat & materia purulenta flava condensata præsertim in basi cranii obducebatur; pia mater simili flavedine tincta erat; ventriculi omnes dilatati magnam copiam seri continebant; circa medullam spinalem paucus sanguis extravasatus aderat; in abdomine hepar omnino sanum inveniebatur, lien vero flaccidus vesicam retulit semiplenam, qua incisa effluxit materia brunna ichorosa.

Femina 38 annorum quatuor mensibus gravida die undecimo novembris in nosocomio suscipiebatur referens, se ante mensem sub gestatione nimii oneris sentiisse rupturam in regione cardiæ, indeque quasi corpus quoddam delapsum versus regionem hypogastricam; postea vomitus adfuit omnium ingestorum cum dolore fixo cardiæ & hypochondrii dextri, alvo segni, lumbagine, siti, icteritia. Missio frequens sanguinis phlogistici,

 cam-

camphorata, antemetica prorfus nihil levarunt; perrexit enim morbus verfus finem cum fingultu, diarrhoea, abortu, confumtione plenaria virium & corporis, fub quibus d. 6 Januarii moriebatur.

Dissecto abdomine omentum majus plenum tuberculis fteatomatofis inveniebatur atque prolongationem chordæ inftar fuperficiei pofticæ uteri annexam habuit, hepar magnum durum in tota fubftantia nigrum fub incifione fanguinem atrum fundens; vefica fellea minima bilem nigram continens, ejusdemque collum craffum callofum, pancreas induratum; inteftina omnia valde contracta; in pelvi vero maxima abnormitas: vefica urinaria exigua fub fymphyfi offis pubis condita, uterus adhuc ex abortu mox prægreffo diftentus; pone uterum aderat tumor caput infantile æquans collo uteri, quocum commune integumentum habuit, annexus continens materiem fteatomatofam cum pilis nigris copiofis permixtam; ovarium lateris finiftri magnum nigrum, inteftinum rectum pluribus tuberculis fcirrofis obfeffum.

Decem-

DECEMBRIS.

PLEURITIDES complures partim rheumaticæ post venæsectionem in dolorem artuum transeuntes; quidam simul cum dolore fixo lateris etiam febre quotidiana laborauit, quinam uterque morbus venæsectione repetita & antiphlogisticis tollebatur.

PUTRIDÆ febres potissimum primi gradus aderant purgatione intestinali opus habentes & sanatæ, apud unicum metastasis ad crus vesicatorio excoriatum facta fuit; cujus suppuratio quamvis per mensem continuata fuerit, attamen sub incepta consolidatione mox pectus summo astmate correptum fuit, cujus letalis eventus nulla arte averti potuit.


CATALEPSI corripiebatur puella ob ingratum animi pathema; loqui, ingerere, membra movere noluit aut nequivit; facies sanguine turgida erat, pulsus fere naturalis; post tres dies propinata ingessit, reliquus autem status permansit idem; demum misso sanguine hirudinibus capiti bis applicitis, emeticis, laxantibus decimo morbi die loquela rediit, melancholica autem non desiit esse ægrota, donec post aliquod tempus surrexerit

 notabilis

notabilis tumor hydropicus extremitatum imprimis inferiorum, ſub cujus incremento veſania ſenſim decrevit & demum ceſſavit; hydropis dein facilis fuit ſanatio.

SECTIO.

APOPLEXIA biduo correptus ſenex 65 annorum nobis adducebatur absque loquela cum paralyſi extremitatum lateris dextri; octavo morbi die poſt quæcumque adhibita auxilia exſpiravit. Cranio Cadaveris aperto, vidimus ventriculos anteriores ſero repletos, hydatidem in plexu choroideo ſiniſtro, atque in corpore ſtriato lateris ſiniſtri notabilem copiam ſanguinis extravaſati brunni coagulati.



X.

X.

DE GEI URBANI RADICE,

PHARMACO CORTICIS PERUVIANI SUCCEDANEO.

Auctore Rudolpho Buchhave,
Medic. Doct.

Anno vergente præterito Societati Medicæ Hafnienfi candide aperto per lustrum in diversis morbis adhibito, & a me detecto, specifico, editoque in lucem currentis principio anni libro, qui inscriptus est: *Observationes circa radicis Gei urbani vires in febribus, præcipue intermittentibus, aliisque morbis*, eoque spectatissimo Collegio Medico oblato, Membra hujus Collegii, inventionem meam & arcani revelationem hilari animo, auribusque pronis atque apertis excipientia, benevolentiam erga me suam, præmio oblato, cujus benignitatis ergo immortales iis refero gratias, publice testata sunt, mihique certas & probatas

batas indicandi leges, juxta quas radices Gei, experientia præeunte, colligendæ & ſiccandæ esſent, ſpartam impoſuerunt; Membrorum deinde quidam dictæ Societatis me etiam atque etiam urſerunt, ut inventionis hiſtoriam, radicis characterem &c. divulgarem, obſervationumque contenta in Societatis Acta, paucis inferenda, congererem, quo iis, quibus fortaſſe ad manus non veniret obſervationum liber, innoteſceret tamen ex Actis noſtris ſpecifici, hucusque occulti, uſus multiplex atque efficax virtus. Mæcenatum, amicorum, ſodaliumque præceptis morem gerens ſtylo compendioſo brevique ſequentia, radicem Gei urbani concernentia, & in hunc usque diem mihi nota, palam in medium proferre haud tergiverſatus ſum, potiſſimum cum in libello, nuperrime dicto, nihil non, quod obſervando didici, orbi medico litterato ſuppreſſi.

Febrifugum inveſtigandi pharmacum anſam mihi dedit maxima materiei medicæ penuria. Nemini non notum eſt, corticem Peruvianum, unicum & tutiſſimum febrium intermittentium in hunc usque diem domitorem, aut nimio ſtetiſſe

pauperi-

pauperibus pretio, aut fomitem febrium periodicarum & intermittentium sæpe non penitus extingvisse, quin reversio esset pertimescenda, aut incerti demum fuisse effectus, vel ob suppositos alius generis cortices spurios, vel ob vetustatem aliamve remedii corruptionem.

Inde factum est, ut in his morbis omni sufficienti medica ope destituti inopes vel domestica minus certa, imo sæpe periculosa, sectati sint, ex quo fonte plurimi morbi chronici, rure obvenientes, exitusque ferales, plebi communissimi, ortum duxere suum; vel fugata semel febre, aut indole sua, aut ob non strictam satis observatam post febris recessum diætam, recurrente, reversionibus, sæpe numerosis, plus argenti impendere, quam rei domesticæ tenuitas concederet, fuerint coacti.

Remedium hinc febrifugum incolis, inprimis pauperibus, tam necessarium, diu in votis habuit quisque bonus Philiater.

Multitudine indigorum, cum hujus generis morbis conflictantium sæpius me circumcinctum vidi. Ad angustias tam artis nostræ, quam ægro-

tantium, respiciens, & miseriis hominum commotus tum folia, tum cortices, tum radices, tum etiam varia domestica, curationes interdum præstantia, collegi, ægrisque, periculum faciendi gratia, distribui, optima spe nutritus, ut in Dania etiam Peruviano cortice haud inferius reperirer pharmacum.

Horum omnium, quamvis rarissime, quædam interdum juvare persensi; cum vero effectus semper fuerit incertus, in alia atque alia, & tandem in nostram incidebam radicem. Notæ mihi erant factæ jam dudum in Suecia, auctore *Kalmio*, cum radice *Gei rivalis* curationes, quæ, quamvis ad votum, factitatis identidem experimentis, non succedebant, tamen, ut *Gei urbani* radicem tentarem, me fortiter incitabant; mihi enim persuasi: In radice hac, alteri cognata, forsitan inesse vim febrifugam.

Prima auspicato evenerunt tentamina, mihique spem dederunt, fore, ut indigena hæc planta remedium, intermittentibus conveniens, præberet; repetita innatam radici virtutem ita confirmarunt, ut maximam deinde in radice reposuerim

fiduciam,

fiduciam, & ultimis duobus elapsis lustri annis eam, tanquam summum in periodicis aliisque diversis morbis, atque cortice Peruviano longe superius & efficacius, reputaverim remedium.

Invento hoc perlætus observationes meas continuo in chartam conjeci. Cum observationum numero magis magisque demum increvit alacritas plures capiendi; quædam vero invincibilia cum ludo intermixta fuerint obstacula, tardo ad plenam rei convictionem gradu per quosdam annos processerunt mei conatus, donec tandem, libera atque plena manu magnæ ægrorum turbæ specificum distribuendi, inceptisque historiis plures addendi copia mihi fuerit data. Sic tandem collecta increvere morborum facta, ut ipse de summo rei in orbis universi populos commodo inde redundando convictus non potui non arcanum coram omnibus pandere, nuperque edito libello observatorum contenta oculis subjicere omnium.

Plantæ synonyma, radicis descriptionem & characterem, tempus eam colligendi, methodumque siccandi, nosse magni interrest, quibus virtutes,

tutes, & in morbis efficaciam, adjungere opus eſt. De his pauca, quæ, experientia præeunte, docui, indicare apud animum conſtitui.

Planta ab Ill. *Linnæo Geum urbanum* vocatur, qui eam ad claſſem ſyſtematicam, icoſandriam polygyneam, retulit. A priſcis Botanicis nomine *Caryophyllatæ vulgaris* ſalutata fuit; a Danicis Nellike Urt, Nellike Rod.

In aperto & culto nunquam habitat campo, ſed umbroſis arborum & dumetorum delectatur, ideoque tum in ſylvis, tum in pomariis ad ſepes & muros læte & ultro naſcitur. Cum vero in pingui humo inſigne capiat incrementum & magnitudinem, operæ pretium duxi, plantaria in pomariis inſtituere, quo radices optimæ notæ in his umbroſis, & nulli commodo inſervientibus locis, gignerentur.

Quod ad deſcriptionem plantæ genericam, lectorem miſſum volo ad *Linnæi* Genera plantarum; ſpecifica hæc eſt: Floribus gaudet erectis, fructu globoſo, hirſuto, ariſtis uncinatis, nudis, foliis radicalibus lyratis, caulinis ternatis.

Deflo-

Deflorata planta & ſeminibus e receptaculo delapſis, ſero auctumno nova radix producit folia, totam hyemen, etiam ſub nive, virentia. Sic foliis natale locum indicantibus planta omni tempore anni cognoſci, & radix reperiri poſſit. Cum vero a rerum imperitis folia Gei urbani & rivalis facillime confundi poſſint, eo præcipue tempore, quo nec flores nec ſemina adſunt, non folia conſideranda ſunt, ſed radix ſola, quæ optimam ſiſtit notam characteriſticam, dijudicetur, ſi dubium ſuboriretur.

Radix, cum ſit perennis, ad longitudinem & craſſitiem digiti accedere poteſt. Junior fibroſa eſſe primo apparet obtutu, propius vero contemplata principalem quandam, fibris majorem, unde fibræ derivantur, oſtendit; ſenior craſſiorem habet radicem principalem cum plurimis & longis fibris; hæc conica eſt, oblique deſcendens, ut plurimum truncata, ſæpius apice emortua, & ſquamis nigricantibus obſita.

Recens transverſim vel in longitudinem diſſecta corticem monſtrat albicantem, & medullam pulchre violaceam. Hæ notæ radicis ſpecificæ & characte-

characteriſticæ ſunt, quibus a radice Gei rivalis diſcrepat, quæ medulla albicante, & radice repente, longa, paucis inſtructa fibris, gaudet, & in humidis, atque uliginoſis habitat locis.

Sapore inſtructa eſt aromatico-caryophyllaceo, leniter adſtringente, haud ingrato, & gratum caryophyllum ſpirat, unde ſub nomine Caryophyllatæ ab antiquis cognita. Vehiculum ſuum, aquam, vinum, ſpiritum vini, colore obſcure rubro tingit, & contrita in pallide rubellum abit pulverem. Color rubidus a violacea medulla derivatur.

In noſtro climate non prius eruendæ ſunt radices, quam ſolis calore excitata planta creſcere incepit, quod in Dania menſe Aprili, raro ante id tempus, fieri poſſe experientia comprobavit; collectio proinde ad ultimum Julii perpetuari poteſt, & non ultra; nam poſt id tempus in flores & fructus producendos, maturandosque, ſuccus & ſanguis radicis aromaticus impenditur. Quæ igitur cæteris menſibus effodiuntur minori dotatæ ſunt virtute, minorique aromatico odore & ſapore.

Radicibus

Radicibus effossis, &, mediante aqua, aliquoties renovata, a terra aliisque alienis adhærentibus, purgatis resecanda sunt folia radicalia & caules ad medullam usque violaceam. Iterum, si opus sit, laventur radices, & a quisquiliis, stipitibus aridis, sphacelo apicis, si adsit, squamisque nigris, radici adnatis, emundentur, quæ omnia & inefficacem, & sordidum, atque oculis injucundum reddunt pulverem, inde paratum. Quamvis, plus efficaciæ radici quam fibris inesse, compertum habeo; tamen & crassam radicem & fibras in medicinalem converti usum.

Methodum radices siccandi maximi interest scire. Hac rite præstata pharmacum virtutem conservat; hac mediante efficax contra multiplices morbos comparatur medicina. — Ab omnibus alienis repurgatæ radices in locum frigidiusculum, siccum, aeri & vento, non vero radiis solis, patulum, exarescendi gratia reponantur, quo lenta & frigida evaporatione medicatrices retineantur vires; nimio enim vel valido calore, sive solis, sive fornacis, gratum & efficax avolat aroma.

Virtutes ei medicæ ab Auctoribus variis variæ fuere tributæ. Inter has adstringens, pellens aphrodisiaca, sudorifera, antacida, anticolica, anthysterica enumerantur. Quidam etiam, tanquam in transitu, virium antifebrilium mentionem faciunt, uti post opusculi mei editionem compertus sum. Usus etiam plantæ totius externus ad ulcera scorbutica & fistulas laudatur.

Præeunte mihi experientia, virtute dotata est leniter *adstringente*, *alexipharmaca* & *antiseptica*. *Primam* in morbis a fibra laxa natis nostrum probavit pharmacum, vi amaricante & *roborante* in fibras agendo, ut in morbis primarum viarum, diarrhæa, dysenteria; *secundam* in morbis exeruit mucosis, aromate suo *resolvente* superfluum mucum educendo per cutaneos poros; imo in quibusdam ægris maximum provocavit sudorem. Eadem virtus in morbis nervinis & periodicis *antispasmodica* vi in nervos egit, eorundem nempe inordinatos motus & in spasmos tendentiam tollendo. Hæc efficacia ab aromate radicis derivanda est; eo enim absente nullus in intermittentes effectus animadvertitur; *tertiam* in morbis quibusdam

busdam malignis & putridis mihi præstavit, &, nisi omnia me fallunt, porro præstabit. Hanc opinionem mea in hac re facta, & in edito libello annotata, corroborant experimenta, quibus maxima *antisepticitate* omnia hucusque nota vegetabilia exsuperare radicem, evictum est.

Prima mihi tentamina, ut supra memoravi, fuere in febribus intermittentibus, ubi omnem sæpe expectationem superavit; minime enim cogitationes eo conferre potui, ut medicamen cortice superius reperirer eidem æquali contentus. Dedi igitur doses initio satis magnas, quæ curationes rite perfecerunt; una autem alterave occasione, parvas eundem edere effectum, animadvertens, ad minores semper retrogressus sum; donec dosin intermittentibus determinare didici. Sic e. g. pulveris Gei ægrotis initio dedi unciam I, quæ tertianam supprimeret; sumpta vero ob ægroti ignorantiam semuncia, febris evanuit. Semunciam deinde porrexi; sed, ob negligentiam drachmis modo duabus adhibitis, aliquoties siluit morbus. Drachmis tunc duabus curationes facere

 institi;

inftiti; fed hæc dofis non ubivis fatis certa erat, quin exftinguendæ febri alia parva opus erat. Drachmis tunc tribus vel quatuor reftiti, quæ etiam omnes omnis generis febres feliciter abegerunt; interdum vero contigit, ut quartanæ auctumnales plures exegerunt.

Omnes, quos Geo mediante curavi, ægrotos ea, quam in Obfervationibus meis indicavi, methodo ad fanitatem reduxi. Hæc fuit fimplicisfima, quæ ab omnibus ufu recepta eft. Præmiffis nempe, & pro re nata reiteratis, emeticis, purgantibus, & digeftivis, donec canalis inteftinorum remota effent vitia, febrifugam obtuli medicinam, morbumque fugavi. Illorum in numerum referri poffunt ægrotantium plurimi; quibusdam vero interdum, etiam quartanariis, nulla indicatione aliud pofcente, febrifugum fine præmiffis porrexi.

Hanc methodum, hancque medicinam, me fimplicibus periodicis medentem morbis nunquam fefelliffe fancte teftari poffum, nifi radix optimæ notæ non effet, five id a ficcatione ejus, lege artis non rite peracta, five ab injufto collectionis

tempore

tempore ortum duxerit. Tres hujusmodi casus tantumodo cognovi, in quibus, deficiente mihi radice omnibus numeris absoluta, ad corticem confugere fui coactus. Errore sapientior factus auctam, vel duplicatam in posterum pulveris hujus debilis dosin ægris distribui & medicatus sum; sic loco trium drachmarum quinque vel sex, & loco semunciæ drachmas sex vel unciam in intermittentibus nullo non tempore auspicato porrexi.

Quædam tamen interdum occurrunt intermittentes, quæ uno aliove alieno symptomate stipatæ ordinariæ resistunt dosi, & præscripto majorem requirunt ad sui extinctionem; sic unam vidi hoc vere tertianam, quæ unc. j, & aliam duplicem tertianam, quæ unc. ij pulveris, quamvis optimi, & rursus aliam quotidianam inveteratam, quæ tres decocti portiones postulabat, antequam prorsus pharmaco obedivit.

In intermittentibus, qui mali moris sunt, vel viscerum obstructionibus, vel alio abdominis vel sanguinis vitio debentur, aut iterato usu, aut plusculo remedii opus est, si medicus hoc morbi naturæ conveniens judicet; sin minus, alio dige-

rentibus, resolventibus, catharticis &c. curationes dirigendæ sunt. Ad harum febrium numerum pertinent eæ, quæ ut plurimum post auctumnum ingrediuntur, & feram in hyemem, sæpius in ver, omnibus, etiam decantatissimo cortici, invincibili tenacitate remediis obstant. Hanc febrium speciem dum medicam praxin rure exercui, & cum Geo tentamina institui, nondum offendi, ideoque nemini ejusmodi febre laboranti hoc obtuli pharmacum, unico excepto, servo scilicet Hafnia profecto, qui præter auriginosum cutis colorem, abdominis, valde extensi, viscera plurima habuit obstructa, & quamvis multa, etiam corticis magnam copiam usitaverat, octodecim tamen menses cum quartana conflixerat, quique, radicis Gei una consumta uncia, ab hac medicina destitit.

In omnibus, quibus radicem opposui, casibus semper ægris profuit, & nunquam, etiam copiose data, nocuit. Intermittentibus, aliisque ægritudinibus, medicatus nunquam non bonum vidi effectum sine ullo symptomate malo, inde derivando, sine viscerum quacunque labe vel obstructione inde relicta.

Cum

Cum vulgus, cui prima debeo experta, spiritum vini semper in deliciis habeat; essentiam Gei prius paravi, deinde decocti, & tandem pulveris vim tentavi. Sub omni forma medicatrices suas servavit virtutes, semperque eundem edidit effectum. Attamen pulveri & essentiæ maximam habui fidem; semper enim timui, ne gratum coctione avolaret volatile, ideoque hanc parcius medicinam morbis paravi.

Formulæ a me usitatæ fuere sequentes.

Essentia.

R. Rad. Gei urb. unc. iv.
Consc. contus. infunde in
Spirit. vin. Gallic. lib. ij.
M. digere in balneo arenæ per
vi dies & cola.

Decoctum.

R. Rad. Gei urb. unc. i.
Contus. coqv. cum aquæ simplicis
lib. iß ad remanent. lib. i. (a)
Colat. adde
Syr. Commun. q. v.

 Pulvis.

(a) In præsentiarum, cum hæc typis mandentur, decoctionem non ultra 3 vel 4 durare præcipio horæ minuta, ob

Pulvis.

R. Rad. Gei urb. ſemunc.

D. pulveriſat.

Electuarium.

R. Pulv. Rad. Gei urb. ſemunc.

Mell. deſpumat. q. ſ.

M. F. Electuar. molle.

Quamvis decocti, pulveris & electuarii doſes hic præſcriptæ & determinatæ omnibus periodicis & intermittentibus ſuffecere morbis, tamen quædam, magiſtra experientia, huc ſpectantia mihi reſtant dicenda.

Essentiæ unc. iß ad intermittentem depellendam, ut ordinaria doſis, requiritur, rarius unc. ii. Determinatam hanc doſin tribus vel quatuor vicibus, die apyrexiæ, ex cochleari magno, cum aquæ frigidæ portiuncula capere juſſi; interdum tamen unc. i, uno hauſtu, ſeu errore ægrotantis, ſeu meo juſſu, ſumta, febrim fugavit.

Decocto parando radicis ſiccatæ drachmas vi, vel unc. i determinavi. Tamen ſuffecit ali-

ob principii volatilis aufugiendi metum, præcipue in morbis, ubi læſi ſint nervi, Ebulitionem & frigidam colaturam longe hinc decoctioni prætuli.

aliquoties unc. ß. Deficiente mihi ſæpe radice ſicca, e recenti hoc parare juſſi, & tum uncias III vel IV requirebantur ad febris fugam. Uncias II quavis vel alterna hora capere juſſi.

PULVERIS ſemunciam intermittenti extinguendæ præſcripſi; ſæpius tamen non ultra drachmas III adhibui; interdum drachmæ II curationem perfecerunt. Idem de electuario valet. Aut ſingula hora aut omni bihorio drach. ß capiebat æger.

CUIQUAM, rei inexperto, parvæ nimis hæ doſes eſſe viderentur; Huic autem regero: Non, niſi multiplici experientia inſtructum me eas hos inter poſuiſſe cancellos. Bonæ vero notæ pharmacum eſſe debere nemo non, qui iniqua mente eſſe nolit, intelligat; ſin minus, doſin pro pharmaci dignitate, & ægrotantium ſtatu morboſo, eſſe augendam, animo ſecum volvat praxeos medicæ gnarus; de noſtra enim radice dici poteſt, quod de cortice peruviano excellentiori, cujus vel minor, vel minus repetita doſis, plus præſtare poteſt, quam major & ſæpe iterata minus ſelecti & eximii.

Has parvulas doses, quibus periodici simul & semel supprimantur morbi, consideranti in mentem mihi venit imanis corticis Peruviani quantitas, a neotericorum quibusdam Medicorum in his affectionibus præscripta, &, reversionis causa præpediendæ ad libram unam, duas, & ultra extensa. — Quamvis rarissime, si unquam, meos ægrotos, dum cortice curationes perfeci, tanta pharmaci ingrati mole obruere fui coactus! tamen ut ad uncias II vel III, raro ultra, adscendere me sæpe compulerit morbi conditio; præterea diu strictissima restitit ægro diætæ ratio, ni recidivam pateretur.

E contrario in summam nostri pharmaci laudem hoc palam confitear: Me quidquam nostri vel alius medicaminis post morbum devictum ad recidivam præcavendam rarissime vel nunquam dedisse, & tamen recidivantem febrem nunquam vel raro post ejus usum observasse, nisi in quibusdam refractariis morbis, quorum tamen numerus vix sese habet ut unum ad quinquaginta. Laudem tamen non meriti sunt recidivæ immunes cæteris; nam plurimi, e rustico genere nati, relicta diæta,

aëri

aëri frigidissimo corpora commiserunt, gulæque, quod appetebat, indulserunt; attamen omnes febris reversiones & recursus feliciter evitarunt.

Majori hinc præ cortice Peruviano efficacia in nervos agere videtur nostra radix; nam febriles motus semel probe exstincti & deleti, etiam posthabito regimine, vel purgante post febrim finitam pharmaco dato, ægre vel nunquam excitantur.

Dum intermittentibus sum medicatus vel fortuito didici, contra plures opitulari ægritudines medicamen, vel ratiocinio ductus, ob causarum in morbis diversis similitudinem, ad alia atque alia transgressus sum morbi genera, quibus curationem facile admittentibus, nunquam non doctior, nunquam non de feliciter superato morbo lætior, a lectibus ægrorum decessi. Sic in virum hæmaturia laborantem forte incidi, cui, dum intermittentem curavi, hæmaturia evanuit; sic hæmatemesi correptam mulierem rure accessi; huic, præmissa venæ sectione, cum nihil aliud ad manus fuerit, Geum porrexi, unde resipuit. Exinde vero intellexi, hæmorrhagiis inservire radicem.

Vomitu, in intermittentibus sæpius oboriente, Gei ope sublato, intuli: morbis nervinis subsidio eam posse venire, & deinde his morbis auxiliatus sum; ventriculus debilis medicina confortatus nostra ad alvi fluxus sistendos viam mihi monstravit; periodici morbi, acutis adjuncti, pharmacum in acutis perferri, probabiliter indigitarunt; & maxima antiseptica virtute experimentis probata, putridis & malignis suppetias ferre, recte, ut puto, judicavi. Ita abstrusas pharmaci vires indagatus, ejusdem in morborum generibus diversis excellentiam, in maximam mei lætitiam, pedetentim detexi, cognovique.

Vis hinc febrifuga radici non inest sola; pluribus aliis, hac non inferioribus, instructa est. Omnes hac medicina utentes ægri canalem intestinalem ita roboratum persensere, ut ructus & flatus fortiter sint erupti; appetitus cibi validus, vires corporis novæ, artuumque robur, accesserint. Alvo obstructis liberam ventris, & sæpe aliquoties nycthemeri spatio repetitam, præbuit radix excretionem; alvo laborantibus laxa naturalem procuravit alvi depositionem; sanguini, per alienas corporis

corporis prorupto vias, limites posuit; morbis occurrit mucosis, & nervis amica spasmodicis opitulatur; nullum motum, nullumque sanguinis excitat æstum, &c.

Quem igitur lateat, quanto humanarum ægritudinum numero quæstui esse possit hoc medicamen, quantumque hujus inventione lucrata sit medica praxis, cum, præterea quod periodicis in morbis specifici munera præstiterit, eximiam mihi jam dudum probaverit utilitatem in menorrhagia, hæmatemesi, hæmaturia, meteorismo, diarrhoea, dysenteria, colica, leucorhoea, hysteria, vertigine, lipothymia, ecclampsia, epilepsia, tussi convulsiva, & in plurimis aliis a nervorum debilitate & solidorum laxitate primordia ducentibus; quinimo, ut summum antisepticum, morbis putridis, malignis, dysentericis, &c. id oppositum iri, quædam a me facta tentamina, & ratiocinia a posteriori ducta, promisere. Pericula in posterum factitanda clariorem huic accendant opinioni facem.

Methodus, quam mediante nostra medicina in his adhibui affectionibus, ea fuit, quæ funda-

mentis

mentis therapeutices nititur. Præmiſſis, vel interpoſitis iis, quæ indicationes exegerunt, medicamen ægris dedi proportione tali, quali eis opus eſſe autumavi. In levioris momenti malis minorem doſeum numerum, in majoribus plures injunxi; qualibet vice ſcrupulum 1 pulveris, vel drachmam ß, deglutivit æger, hasque doſes bis, ter, quater, ad ſexies, quotidie iteravit. Eſſentiæ ſemunciam, & decocti unciam 1 ad ij, quavis vice capere ſivi. Sic breviori tempore, ac ſi cura ope corticis eſſet facta, ſanitatem labantem, vel lapſam, ſuſtinui, erexi.

Qvas certas habui morborum hiſtorias, has omnes una cum celebriorum practicorum hafnienſium obſervationibus quibusdam, brevi admodum tempore factis, typis exprimendas curavi; jam jam collectas, & inpoſterum obviam venturas, alio tempori pervulgandas reſervo. Suas huc conferre ſymbolas promiſere omnes Societatis medicæ practici, promittent omnes ſinceri philiatri, quibus medica ars, mortaliumque ſalus, curæ cordique nunquam non fuit.

Hafniæ den 12 Febr. 1781.

Expli-

Explicatio Iconis.

a) Radix integra, fibrosa.

b) Eadem longitudinaliter dissecta, medulla violacea, cortice albido instructa.

c) Eadem transversim secta cum violacea medulla.

d) Folia radicalia lyrata.

e) Folia caulina, alterna, ternata cum stipulis dentatis.

f) Eadem minora simplicia.

g) Corolla a latere conspicua cum calice.

h) Eadem explanata.

i) Flos nondum eruptus.

k) Receptaculum cum seminibus in capitulum congestis.

l) Semen maturum cum arista uncinata.



XI.

XI.

Observationes de Erysipelate.

1) De vertigine periodica per zonam soluta.

2) De erysipelate vesiculoso faciei totius.

NOTATÆ PER

J. W. Gulbrand,

M. D. Archiatrum Reg.

OBSERVATIO DE VERTIGINE PERIODICA PER ZONAM SOLUTA.

Vidua 50 annos nata, ante 5. luſtra ſæpiſſime doloribus hypochondrii dextri in regione hepatis anteriori obnoxia, cum lipothymicis & hyſtericis malis intercurrentibus, varia reſolventia, antiſpaſtica, & roborantia optima quæque ab optimis

Practicis

Practicis porrecta adhibuit, & post effluvium spontaneum seri, sub mamma dextra quotidie leviter pullulantis, ab enarratis malis liberata vixerat jam ultra IV annorum spatium; per III annos haud amplius catameniis fruebatur femina robusti, succulentique corporis, judicii, ingeniique acrioris. Præter fluxum serosum continuantem dictum ejusque repulsioni remediis externis strenue interdixi semper, nil incommodi sentiit, donec ante 2. fere menses corripiebatur vertigine momentanea, fere caduca, quovis tempore antemeridiano recurrente, concomitata dolore gravativo supra oculos & oppressione cardialgica. Nulla præter levem sitim pomeridianam adfuere signa febris. Ipsa sub ineunte vertigine venam brachii sectam curavit, & me octiduo post, in auxilium vocato, venæsectio iterata fuit. Sanguis grumosus erat spadiceus, densus, crusta crassa lardacea tectus. Serum citrinum. Vertigo pergebat solito modo, fluxus serosus sub mamma dextra, jam habitualis, continuabat: animus ob moerorem nuper perpessum dejectus erat: Credidi caput afflictum fuisse per consensum ventris, bene

memor

memor Divi BAGLIVI effati: *Quod replet caput, ut bene solvatur, per alvum solvi debet.* Præscripsi igitur mixturam sequentem:

R. Aqu. meliss. ℥vi.

Tinctur. rhei aquos. ℥ij.

Sal. sedlisens. ℥i M. D. 4ter per diem 2 cochlearia majora vel ℥i & pro potu ordinario ex decocto avenæ sumantur Mel. despumat. ℥ij c. nitri antimoniati ʒi quotidie. Hisce remediis 14 diebus adhibitis, interpositis suppedalibus, ex Emplastri e galbano crocati & vesicatorii partibus anaticis, sentiit dolorem pungentem in hypochondrio dextro a spina dorsi ultra umbilicum ejusdem lateris; Oboriebatur quoque diarrhoea mucosa & sanguinis frustula vehens. Elapsis tribus septimanis, & vertigine periodica sub diarrhoea continuante, pro Mixtura dicta aliam camphoratam omni bihorio sumendam substitui, locumque dolentem dorsi solummodo fricandum jussi linimento volatili, quo semel facto eadem vespera dolor increvit vehementer noctu & die sequenti diarrhoea sponte sedata fuit. Locum dorsi affectum vidi obscure rubentem, latitudine palmæ, a spina

dorsi ad umbilicum, spatiis distinctis digiti seperatum, sensim effloruere vesiculæ albæ, elevatæ e medio rubentis cutis sponte largam materiam ichorosam plorantes, in dorso & latere præsertim, usque ad XI post efflorescentiam diem, quo sensim in crustam exsiccari incipiebant, & decidebant; aliquæ vesiculæ nigrescebant, omnes cum dolore ignis urentis, &, juxta verba ipsius ægrotæ, quasi foramen aderat usque ad intestina penetrans; similem autem dolorem perpessa fuerat etiam diu ante obortum hunc ignem sacrum; noctes insomnes, anxiæ, inquietæ, corpus ne minimum quidem movere potuit ob dolorem de loco in locum. Secundo post efflorescentiam die mox dedi Decoct. Corticis peruviani omni hora solita dosi adhibendum, continuavit quoque Decoctum avenaceum præscriptum, & pro necessitate vsp. M. cum Tinct. rhei aquos. antea nominatam dum semper pejorem se prædicabat post fortiorem aquam laxativ. Vien. cochleatim sumtam. Intra 19 dies omnes pustulæ exsiccatæ erant, loca cutis affecta solito sensibiliora, obscure rubra erant. Post efflorescentiam vertigo haud adfuit, nec dolor gravans supra

oculos, & convaluit bene post adhibita remedia sequentia.

R. Ess. cort. Peru. ℥ß.
Elix. visceral ℥vi.
Vitrioli Mynsict. ℥i M. D.
a. & p. m. 100 gttæ.

& interdum omni tertia vespera M. e Tinct. Rhei aquos. c. Sal. sedlisens. sub diæta & regimine convenientibus. Quarta jam vice in praxi mea occurrit affectus hic, nunquam vero tam regulare cingulum medii ventris, quam quod jam descriptum, vidi antea. Tres reliqui similes solvebant dolorem hepatis & pectoris cum tussicula per annos tentante, omnes quatuor foeminas, terminum menstruorum egressas invaserunt, omnes simili modo similibusque remediis tractavi, & postea bene valuerunt ægræ.

Tam celeber. Hoffmannus, quam Vogelius cingulum hoc affectum singularem, paucis visum, plurimis incognitum dicunt; aliam speciem, Vogelius, Zosterem spurium nuncupat sibique cognitum; respectu autem habito ad latiorem aream, quam occupavit morbus hic descriptus, ad symptomata,

ſtomata, quæ antecedebant & comitabantur eruptionem in noſtra ægra, facile patet noſtrum Zoſterem ad ſpurios non referri poſſe; Nec magni intereſt mea nomen morbi, dummodo faciem in noſtra regione viſi deſcripſerim, & per illum ſolutam vertiginem periodicam notaverim. Obſervationem totam dedi, quam cum ſocietate honoratiſſima communicare conſtitueram mecum.

OBSERVATIO ALTERA DE ERYSIPELATE FACIEI VESICULOSO.

ADOLESCENS 31. annorum, ultimis diebus anni proxime finiti, querebatur de rheumaticis doloribus dentium & oris lateris dextri; noctu ſubito intumeſcit & rubet tota facies, adeo ut oculi haud diſtingvi poſſent. Sparſæ in genis & fronte præſertim, parvæ veſiculæ albæ elevatæ, oboriuntur per integrum nycthemerum incredibilem ſeri copiam fundentes, tria etenim larga & lata linte-

amina non ſufficiebant ad iſtum liquorem abſorbendum. Quarto ab eruptione die facies tota cruſta craſſa, ſubflava obducta erat, licheni arboreo haud abſimili, poſt ſedatum effluxum liquidi. 7mo morbi die ſudavit large æqualiter per totum corpus, pulſus magnus, paulo frequentior. Poſt ſudorem 24 horis durantem, foetoremque ſpirantem, ſolvebatur ſenſim cruſta, in fruſtas decidens. Cuticula nova ſucceſſit, & oculi rubent. Nulla ab initio eruptionis tuſſis nec ſitis moleſtabant, vigebat appetitus, ob tumidam faciem cruſta obductam autem os pro cibis aſſumendis aperire non valuit, ſola potulenta, lactis ſeri ſcilicet, ultra ij Menſuras quotidie, ſumſit; Tandem hujus ob excitatam nauſeam pertæſo Decoctum tenue avenaceum c. Oxymell. ſimplici & Nitro depurato, omni matutino & veſpertino tempore ſumendum, unàcum cochlear. minoribus duobus *Electuarii Mundificantis*, leniter laxantis, ſuaſi. Ante ſudorem univerſalem 7mi diei urina citrinum clarum habuit colorem, poſt illum dedit ſedimen mucoſum albeſcens: Non expoſuit ſe æger aeri libero XIV

diebus

diebus post: Nec oculi lucem perferre potuerunt. Jam bene valet, negotia sua perficit, & utitur Elixir visceral. Hoffm. ter p. d. ad gtt. 80.

XII.

DESCRIPTIO ET METHODUS MEDENDI FEBRIS TERTIANÆ DUPLICIS PERICULOSISSIMÆ,

HAFNIÆ ANNO MDCCLXXIX GRASSANTIS,

REGIÆ SOSIETATI COMMUNICATÆ

PER

URBANUM BRUN AASKOW,

M. D. Archiat. Regium, Societ. Membrum Ordinarium.

Temperies aëris sub hyeme anni 1778 solita multo mitior erat: Ineunte bruma frigus quidem aderat sub initium mensis Octobris, quod tamen vix duobus perdurabat hebdomadibus. Ventus mense Octobri & Novembri regnabat plerumque Eurus; ultimis vero hujus mensis novem diebus, & inde ad medium usque Decembris Africus, quem excipiens occidentalis ventus ad exitum anni 1778 spirabat. Frigori mensis Octobris successit

aër

aër nebulosus, nonnunquam pluviosus aut procellosus, donec circa medium mensis Januarii anni 1779 frigus redibat, sed adeo moderatum, ut thermometrum vix unquam dimidium infra punctum congelationis gradum monstraret. Hoc autem frigus vix per tres durabat septimanas; mense enim Februarii aër insolite adeo erat calidus, ut jam veris ineuntis læta apparerent signa. Ventus tunc varius, utplurimum septentrionalis erat: Pluviæ quoque solito rariores, & pruina nocturna nostro in climate verno tempore alias frequens, rarior apparebat. Mensis Martii grata quoque fuit temperies, si exceperis dies quartum, 8. 9. 11. 12. & 16. quorum noctes frigidæ fuerunt. Ventus tunc varius, modo meridionalis modo occidentalis flabat. Aër initio mensis hujus serenus, gratus; versus finem mensis vero nebulosus, humidus, procellosus, qui læte virentibus ac florentibus arboribus nocebat, nec minus perniciosus fuit hominibus, qui grata aëris temperie seducti hiberna calidiora vestimenta deposuerant. Mensis Aprilis gratus, immo calidus adeo fuit, ut 15tum etiam caloris gradum monstraret interdum ther-

thermometrum Reaumurianum: Ventus haud constans modo occidentalis, modo Notus, sæpe Aquilo flabat. Sequentibus mensibus calor nostris in terris insolitus & siccitas æstatem cum illa meridionalis Europæ æque calidam reddiderunt.

Uti temperies aëris solito mitior sicciorque erat, ita quoque sanitas hominum rarius minusque infringebatur. Sub exitu præterlapsi & initio præsentis anni præter febres urticatas, inter scarlatinam & morbillos medium quasi tenentes, variolæ ac tusses convulsivæ, raræ attamen, observabantur. Quæ hieme alias inter nos semper satis frequentes esse solent, rariores adfuere febres inflammatoriæ & rheumaticæ, nec tertianæ vernales, quæ alias his in terris ea anni tempestate quasi indigenæ grassari solent; frequentes apparebant. Harum vero loco morbus apud nos rarior nominandus passim observabatur: *Tertianam duplicem* puto, *symptomatibus dirissimis nuptam, nec paucis exitiosam.* Quantum nostra in praxi observare licuit, mense Martii primo apparebat hicce morbus; frequentior occurrebat mense Aprilis, postquam calidiorem aëris temperiem exceperat ventus frigidissimus.

Primo

Primo morbi die circa meridiem plerumque, morborum inflammatoriorum in modum, incipiebat paroxysmus cum horripilatione, lassitudine, dolore artuum, nec non vehementissimo abdominis & hypochondrii sinistri dolore: Pulsus tunc concitatus valde, depressus & sub primo paroxysmo durus: Anxietas urgebat cum vomituritione, siti inexstinguibili, dysuria, immo ischuria, alvi obstructione & tenesmo. Ad seram vesperam remittebant symptomata sudore oborto: Pulsus celeritas haud ante horam quintam matutinam sequentis diei 2di intermissionem morbi indicabat.

Læta tamen hæc rerum facies vix 5 aut 6 horas durabat, tunc enim frigore vix senso iterum aggrediebantur dolores ventris, anxietates & reliqua symptomata, quæ ad vesperam usque sequentis diei 3tii vehementer affligebant; novo autem oborto sudore, soluta etiam urinæ & alvi obstructione finiebantur: Urina, quæ circa initium paroxysmi cruda fuerat, jam reddebatur saturatioris coloris; sub finem circuitus nonnunquam sedimentum deponebat lateritium. Ægri jam præter debilitatem nil querebantur & noctem satis placidam agebant.

Hic itaque finis *primi circuitus*, quo ſub nomine cum cel. Cleghorne comprehendimus duos paroxysmos, qui minori intervallo interpoſito ſibi ſuccedunt, nec ſibi correſpondent, ſed alterni magis ratione durationis & vehementiæ æquales ſunt; ita prior paroxysmus ante meridiem vel etiam mane incipiens ſequenti mane finitur, alter vero, priori ſupervenit, poſt meridiem incipiens & verſus veſperam ſequentis diei deſinens, diutius durat ac gravior plerumque eſſe ſolet.

Die morbi quarto ægri mane bene valebant; circa meridiem vero iterum proſternebantur, ſenſus quaſi frigoris occupabat corpus, & novus accedebat paroxysmus acerbior, prioribus nempe ſymptomatibus valde intenſis, dolore inprimis abdominis, tum quoque urinæ & alvi tenesmo; in nonnullis etiam ad hæc ſingultus, vomitus continuus, &c. aderant.

Die quinto per aliquot horas matutinas remittebant tantum ſymptomata; mox vero iterum ingraveſcebant cum ſumma ægrorum debilitate; deliria haud raro accedebant anxia: calor nunquam vehemens erat, ita ut cutis ad attactum

vix

vix naturaliter caleret. Pulſus erat celer admodum & debilis, contractus, parvus, non raro inæqualis. Ad ſeram usque veſperam durabant ſymptomata hæc, ut noctu modo quietior eſſet æger, ſudore utplurimum oborto adeo levante, ut vix reſtaret veſtigium priorum malorum, ſi ſummam exceperis virium proſtrationem pulſusque debilitatem; etiam mens deliriis antea agitata quietior, ſomnusque pacatior ægrum reficiebat, adeo ut ſummo mane, ſecundo circuitu abſoluto, exſtinctum quisque morbum facile putaret. Urina etiam ſedimentum lateritium nonnunquam deponebat, alvusque liquida interdum fiebat.

Sexto die circa horam nonam vel decimam anxietas præcordiorum, inquietudo, pulſus ſpaſticc contractus, cutis frigida, tranſpiratio ſuppreſſa, leve delirium, nauſea vomitusque, dolores redeuntes novum gravemque indicabant paroxysmum, qui ſenſim ingraveſcebat, ſiti ſtipatus inexſtinguibili, dolore diriſſimo, ſingultu, deliriis vehementioribus, ſubſultu tendinum, ſopore profundo, ſtupore, motibus convulſivis, urinæ & excretionis alvinæ perfecta ſuppreſſione. Perdurabant

rabant

rabant hæcce omnia ad ſummum mane diei ſeptimi, quo poſt remiſſionem 3 vel 4 horarum de novo at majori vehementia adoriebantur cruciatus, inter quos æger verſus veſperam moriebatur; utplurimum tamen *quartus circuitus*, *ſuperato hoc tertio*, plerisque fuit lethalis.

Qui vero hunc ſuperabant paroxysmum raro diſtinctam amplius habebant intermiſſionem, ſed alternas, uti in febribus remittentibus malignis & nervoſis fieri ſolet, & diſtinctu difficillimas patiebantur exacerbationes, quibuscum diu conflictati vel moriebantur vel regiminis ac remediorum adminiculo ſenſim ad priſtinam redibant ſanitatem.

Talis erat circa vernalia anni 1779 tempora facies morbi, qui æſtate deinde & autumno pectus magis occupabat, ita ut pleuritidis vel peripneumoniæ ſpeciem præ ſe ferret paroxysmus, cujus ſymptomata ſub intermiſſione vel plane ſilebant vel ſaltem inſigniter imminuebantur. Rure plures ita affectos vidi ægros, quorum quidam, ſero nimis efficaci porrecta medcina, ſub tertio vel quarto morbi exſpirabant circuitu, vel etiam expectoratione dein purulenta ac febri hectica con-

flicta-

flictabantur. In aliis haud adeo evidentes erant intermissiones, & symptomata pulsusque nervosum potius quam inflammatorium indicare videbantur morbum.

Insidiosus semper hic noster erat morbus & vix dignosci poterat, antequam vehementiores paroxysmi vitæ ægrorum insidiarentur, dum febrem plerumque inflammatoriam primi inprimis mentirentur paroxysmi, hincque venæsectionibus aliisque solitis ad inflammatorios morbos remediis adhibitis remittebant vel evanescebant symptomata: id quod quisque facile virtuti adscriberet remediorum. Ægri, malis hisce finitis, vix non errorem quoad regimen committebant, cui redeuntia perinde symptomata tribuebantur; donec plures circuitus naturam morbi declarabant: Serius vero advocatus medicus vix ab ægri narratione ad diagnosin morbi duci poterat.

Remittentium etiam febrium more interdum aggrediebatur morbus, nulla fere obvia pulsus vel caloris mutatione, solis e symptomatibus vel dolorosis vel soporosis cognoscendus, tunc quoque initium paroxysmorum perdifficile

erat

erat distinguere. Stranguria vel dysuria, quam etiam Cl. WERLHOFF & MEDICUS observarunt, vere præprimis, pathognomicum mihi fuit signum incipientis paroxysmi. Peculiaris quædam anxietas, tristitia, cardialgia, nausea, assumtorum imprimis remediorum evomitio, prima mihi reditus indicia, quin immo etiam in illis ægris, quibus remissio vix adeo lucida, ut sui conscii perfecte essent, quibusque symptomata molesta nunquam cessabant, sed modo remittebant, novum e dysuria, nausea & evomitione corticis peruviani porrecti, ineuntem concludere valui paroxysmum.

GENUINA intermissio noctu secundi diei, medico tunc raro præsente, contingebat, & ægri febre exhausti somno fruebantur placido, hinc adstantes amici & propinqui, (licet a medicis serio moniti, ut hocce uterentur intervallo ad remedium porrigendum, quod proximum paroxysmum, vitæ ægri semper periculosum, arceret,) dormientem sæpe excitare piaculum crediderunt, hincque proprio fato eum potius reliquerunt.

NEC

Nec finis paroxysmi ſemper cognitu facilis erat: Urinæ liberior profluxus & color ſaturatior; (ſedimentum primis diebus, vel antequam morbus jam quaſi victus eſſet, raro tantum apparebant;) ſomnus quietus, animi turbæ magis pacatæ, ſudor erumpens, vel ut plurimum cutis antea ſicca & conſtricta jam quaſi mollis facta, pulſus ſub paroxyſmo ſpaſtice quaſi conſtrictus jam mollior, alvus ſub paroxyſmo ſemper adſtricta adeo, ut ne quidem clysma ob ſpaſticam inteſtini recti contractionem injici potuerit, jam vel ſponte vel remediis facile ſoluta, hæc omnia finem quidem paroxyſmi indicabant; nonnunquam tamen obſcura omnino erant hæc remiſſionis ſigna. In nonnullis ægris e contrario perſpicua fuit intermiſſio, facile e malorum ceſſatione cognoſcenda.

Ad periodos igitur morbi adeo obſcuras diſtinguendas medici utplurimum opus erat præſentia; tamen quoque hic non raro decipiebatur, id quod etiam mihi aſſidue licet ac attente ægrotis adſtanti contigiſſe, præcipue in primis hoc morbo decumbentibus, quos adibam, ingenue fateor & quam maxime lugeo.

Curam

Curam quod attinet, cognita prius morbi indole, haud difficilem judicavi, experientia ductus Cl. Torti, Morton, Werlhoff, Cleghorne, Medici, & aliorum.

Ad naturam symptomatum sub paroxysmo in medela determinanda semper habui respectum. Ubi pulsus ac dolorum vehementia inflammatorium indicabant morbum, venæsectionem nunquam non suasi, immo pro necessitate repetendam, inprimis si vires ac reliqua constitutio ægri eam simul admittebant. Hanc evacuationem optime ferebant ægri sub primis præcipue paroxysmis; levabantur quidem inde dolores, mox vero iterum pristina cum vehementia accedebant. Quibus pluries secata fuit vena, his debilitas sub intermissione semper erat major, ceterum intermissiones diutius protrahi clarioresque inde fieri observasse mihi licuit. Minime vero inde minuebantur sequentium paroxysmorum symptomata, potius nervosa magis fiebant.

Qui deliriis vehementibus, sopore, &c. sub paroxysmo vexabantur, his hirudines temporibus admoti profuere.

Præ-

Præsentibus nausea, foedo oris sapore, linguæ sorditie, dolore epigastrii, vomitorium post finitum paroxysmum exhibitum profuit; sub paroxysmo autem porrectum idem, vel vomitum quam maxime molestum excitabat, vel nullus omnino inde percipiebatur effectus. Scopo emetico solutionem Tartari emetici cochleatim propinavi, quam semper, si tempus morbique ratio ullo modo sineret, corticis usui præmisi.

Emeticum sub initium morbi porrectum, eum sæpe plane profligavit.

Sub paroxysmo vel haustum, *salinum* dictum, vel camphoram cum nitro aliisve salibus mixtam vel ad modum Locheri in aceto vini solutam, additis aquis destillatis propinavi.

Alvum, nisi emetico simul solveretur, vel Rheo cum salibus vel clysmate tempore intercalari solutam curavi: Sub paroxysmo non solvi potuerat alvus. Laxantia etiam leniora cum Cel. Werlhoff nocuisse vidi, quippe quæ paroxysmi accessum accelerabant ac vehementiam augebant.

Tenesmus vesicæ & ani vix remediis cedebant: Clysmata emollientia, alias adeo proficua,

nulla ratione iniici poterant; nec catheter in vesicam introduci ob spasmodicam, ni fallor, vesicæ contractionem. Oleum volatile abdomini inunctum, superimposito panno laneo fomento emolliente tepido madefacto, spasmum & dolores levabant; nil vero adeo juvabat quam vesicatorium latum abdomini impositum.

Spasmos, singultum, tussim molestam ceteraque mala, nulla antispasmodica remedia, nec opium, nec moschus, sopire valuerunt.

Nullam itaque ab alio remedio in hoc morbo debellando comperui opem, (si emeticum sub ipso morbi initio exceperis,) quam a cortice peruviano genuino, cujus virtutes & efficaciam in periculoso hocce stadio tot in arte medica immortales comprobarunt viri, ut nulla ulteriori indigeat commendatione. Hocce tantum monitum volumus: Nunquam ultra secundum circuitum morandum esse antequam divinum hocce propinetur remedium. — Ex auctoritate Cel. Torti & Cleghorne in tertiana duplici curam inchoandam putavi finito paroxysmo diuturniori & vehementiori. Pro ratione longioris vel brevioris intermissionis quantita-

tem


tem ac frequentiam dosium semper determinavi. In majori dosi vix peccatur; ego a Scrup. ij ad Scrup. iv omni hora immo dimidia hora plerumque corticem dedi, ita ut sesquuncia fere intra novum accessum consumererur. — Forma pulveris subtilissimi corticis genuini, tutior mihi semper visa fuit: Cochlear unum vini rubri cum duobus cochlearibus aquæ pro vehiculo adhibui, quod remedium ægris gratius reddidit ac simul debilitati summæ convenientissimum fuit. Nebulis involutus pulvis haud adeo certe suum edidit effectum. Qui pulverem deglutire omnino recusarunt, his decoctum præscripsi corticis quam maxime saturatum, additis pulveris subtilissimi aliquot drachmis. Nonnunquam paroxysmus rediit, quanquam remedio justo tempore & dosi usi essent ægri, qui tunc semper pulveres evomuere simulac febris accessit; hos igitur seposui, usque dum novum redierit intervallum.

Ad sustinendas ægrorum vires semper quam maxime exhaustas nil æque profuit ac vinum rhenanum vetustum ut & Madererum generosum, *Drej Madera* vulgo appellant.

Ex hac curandi methodo optimum in hoc morbo ſemper vidi effectum. Unus modo æger, remedio licet juxta præſcriptos canones exhibito, periit ſub circuitu quinto & paroxyſmo, ni fallor, 10mo. Hujus morbi primis paroxyſmis peripneumonia; 2 vero ultimis ſopor & lethargus aderant. — Alius æger, dum adſtantes remedium dormienti haud debite obtulerunt, in quarto circuitu ſub ſingultu continuo ceteriſque inflammationis abdominalis cruciatibus miſere periit. Puerpera (inflammatione abdominali ſolitis remediis ante 14 dies ſuperata) frigore mentiſque emotione læſa, novis inflammationis ventriculi ſignis aggreſſa, ſub ſecundo circuitu, paroxyſmo quarto, licet omnia ſic dicta antiphlogiſtica ſedulo adhiberentur, pulcram efflabat animam. Venter poſt mortem in ambobus his lividus valde expandebatur. — Infantula 7 genaria febre hac laborans ſub primo paroxyſmo convulſa fuit, & quarto circuitu, paroxyſmo octavo redeuntibus convulſionibus obiit. Vitio adſtantium reditus paroxyſmorum ſero nimis mihi innotuit; ita ut omnia in febri continua proficua hic adhibita nil effecerunt, cortice non propinato peruviano.

CE-

Ceterum ultra 20 hoc morbo laborantes methodo heic relata servatos gaudeo. — Duo gravissimo hoc morbo decumbentes una mecum in auxilium advocarunt Generos. Dnum de Berger, primum Regis Augustissimi Archiatrum, Collegam mihi semper honorifice nominandum ob summam erga me amicitiam & benevolentiam, qui nostræ observationi ac curandi modo assensum præbens veneranda sua auctoritate nostram in morbo tam difficili ac pericuso medendo methodum comprobavit, confirmavit.



XIII.

OBSERVATIONES MEDICÆ VARII ARGUMENTI.

Auctore J. H. Schönheyder,

M. D. & Prof. Extraordinario, Reg. Soc. Membr. Ordin.

Juvenis ſeptendecim annorum plethoricus & frequenti hæmorhagia narium laborans, ceterum ſanus, poſt horrorem & febriculam conqueritur de dolore & tumore partium internarum colli. Exhibito laxante & applicato linimento volatili mitigabantur ſymptomata. Poſt biduum autem recrudeſcebant: Fauces intenſe rubebant, deglutitio difficilis non tamen plane cohibita, pulſus durus erat & frequens. Sanguis e brachio miſſus cruſtam habuit denſam & ſpiſſam. Interne dabantur camphorata & nitroſa, utebatur gargariſmate communi, & enemate pro alvo ſolvendo. Levabatur denuo ægri ſtatus, deglutivit melius, cibum congruum aſſumſit, & ſubinde placide dormivit. Sub

veſpera

vespera diei quinti denuo omnia in pejus mutabantur. Repetita venæsectio & vesicatorium collo impositum levamen dedit. Sanguis priori spissior & crusta tenacior erat. Tumor mox in una mox in altera tonsilla hæsit, semper tamen inflammatio in superiori faucium parte sedem tenuit.

Hac ratione a morbi initio usque ad diem decimum quintum, morbus dictis remediis, venæsectione nempe sexies repetita, cui adhuc jungebantur hirudines, injectiones, cataplasmata emollientia, ut & mixtura camphorata acida & sinapismi pedum, exhibito simul potu tenui copiosissimo; his dico remediis ad septem vices ita mitigatus, ut optima de sanitatis reditu spes subesset, interjecto tamen uno vel altero die absque ulla manifesta causa, denuo immo aucta violentia recruduit. Certos periodos non tenuit exacerbatio, nam interdum una interdum pluribus diebus melius se habuit. Status, tam quoad pulsus duritiem & magnitudinem, quam sanguinis missi consistentiam, doloris acerbitatem & faucium aspectum erat manifeste inflammatorius, nec spissitudo sanguinis & pulsus durities minor erat in sexta venæsectione

ac in prima, remiſſiones autem tam quoad doloris vehementiam quam deglutitionem impeditam erant manifeſtæ, ut febrim remittentem licet incerti typi ſub larva anginæ inflammatoriæ latere, dubitare non potuerim. Febres præterea remittentes diverſi generis eodem tempore graſſantes obſervaveram. Impetrata igitur denuo remiſſione, mox corticis peruviani unciam forma decocti ſaturati exhibui, qua effeci ut ne vel leviſſima anginæ violentæ umbra rediret. Æger quoque brevi tempore ſanitati reddebatur.

In puella hyſterica, a cauſa ſpasmodica ventriculus omnia vomitu rejecit, nec guttulam per triduum deglutire valuit. Varia antiſpasmodica adhibita erant absque fructu, ſuaſi autem clysma ex opii extracti ſcrupulo uno cum aſæ foetidæ uncia ſemiſſe, quo exhibito intra horæ ſpatium, ægra maxime ſiticuloſa bibere valuit.

Dolores arthriticos anomalos ad optima remedia rebelles bis compeſcui ſolutione mercurii ſublimati Suieteniana. Erant duæ matronæ honeſtiſſimæ, in quibus nulla labis venereæ ſuſpicio

locum

locum habuit. Una a longo tempore laboraverat dolore occipitis acerrimo ſæpius recurrente, altera violentum ſub coſtis ſpuriis lateris ſiniſtri ſentiit dolorem: ambæ ſimul vagos artuum cruciatus, inprimis verſus tempeſtatis mutationes, experiebantur.

DECOCTI foliorum cicutæ mundificantes vires nuper expertus ſum in puero, cui a variolis confluentibus convaleſcenti puſtulæ madorem foetidiſſimum ſpargentes in toto corpore, inprimis capite & collo, prorumpebant. Laxantibus repetitis parum proficiebatur, poſtquam autem cutis una alteraque vice hoc decocto lavata eſſet, deciduæ cruſtæ cutim rutilam & ſanam monſtrabant. Experimentum eodem ſucceſſu in binis aliis iteravi.



XIV.

VIS ANT'HÆMOPTHOICA RADICIS IPECACOANHÆ MINUTIS PORTIUNCULIS DATÆ.

VISA

AB

ARN. NIC. AASHEIM,
M. D. & Profess. Design. Societat. Membr. Ord.

Radicem IPECACOANHÆ *specificum ac ferme infallibile remedium in fluxibus dysentericis, aliisque hæmorrhagiis sanguineis deprædicat* summus Medicinæ Restaurator BAGLIVUS (*Prax. Med. Libr. I. Cap. de Diarrh. & Dysenter.*) Votis Clariss. Virorum BARBEIRAC & GIANELLA in immoderato catameniorum & hæmorrhoidum fluxu, imo etiam in hæmoptysi, respondisse jam dudum eandem, testis mihi est Cell. J. A. MURRAY (*Apparat. Medicam. Vol. I. p.* 537). Testimonia Superiorum de virtute antihæmorrhagica Indicæ hujus Radicis novis Observationibus in sistendis sanguifluxu

uterino

uterino & deinde mictu cruento faustus sancivit Dignissimus Archiater Suecus DAHLBERG: Iterum confirmavit Augustissimi Danorum Regis Archiater Illustriss. Observator Strenuus, noster Aestumatissimus GULBRAND (*Dissertat. Inaugur. de Sanguifluxu Uterino*). Demum quinquennio abhinc in fuganda hæmoptosi dira desiderio meo satisfecit Radix Ipecacoanhæ minutis dosibus data. Dignus est, qui notetur, ejus effectus: En eundem stylo Observatoris fidi incompto & sterili expositum.

STUDIOSUS duo de viginti annos natus, cantilenæ sacræ per annos complures ad templum hujus Urbis cathedrale antistes, thorace præditus longo, compresso, hilaris vultu, oculis splendentibus, vividis, genis roseis ornatus, parentes ruri degentes, post longam intra pomoeria urbis remoram, visitat. Ruri degens vicinos peragratur campos curru vectus, equitans, aut pedibus obambulans: Ætati suæ confisus, viribusque animi læti & corporis, ut videbatur, perfecte sani, nec morbo, nec curis, nec remediis, nec otio, nec labore, nec studiis nimiis, nec vigiliis, nec vitæ genere iniquo, nec Venere fractis, ferventem

solem

ſolem meridianum æſtivum contemnit, ſuſpectum aërem nebuloſum, nocturnum, algidiorem negligit, ex orgasmo caloris diurni adhuc candens, juvenis: Poſt mediam noctem cubitum it. Cum oriente ſole ſurgit, nulla perditurus momenta temporis conſanguineis, patrioque ſibi ſe reddenti agello dati. Die XIII Julii Anni 1778 ad propinquos a domu paterna ultra miliaris diſtantiam diſſitos adit rogatus, inſequentem noctem confabulationibus & lætis amplexibus horum dat totam: Die Julii quarto decimo novum petit locum adhuc magis diſſitum, celebraturus diem natalem Feudæ ad patria ſola accolæ: Ibidem, uti fert mos, lauto indulget prandio feſtivo, deinde a veſpera ad horam matutinam quartam usque ſaltat, ſudat, & exæſtuantes corporis humores ad rapidiſſimum concitat motum. Summo calore adhuc fervens juvenis petiturus domum patriam diſſitam ſeſe aëri libero committit curru vectus. Sub itinere in aëre nebuloſo confecto catarrhum pulmonum contrahit. Redux tertium diem domi agit vigil: Hoc autem verſus veſperam vergente ſomno obruitur: Quietis avidus juvenis ſolitam petit cameram, &

in

in eâdem ſellam juxta lectum ſuum poſitam alias: Caſu fortuito hanc ſellam a loco conſueto removerat ancilla lectum parans: Ad hanc mutationem autem omnino non attentus juvenis ſumme defatigatus, & ob nimium, quo premebatur, ſomnum diſtincti viſus vix amplius capax, tergum obvertit lecto, corpusque laſſum ſuppoſitæ ibidem loci ſellæ deponere cupiens, donec veſtimenta exueret, magno cum impetu cadit ſupinus, & dorſum ad partem lecti tabulatam tanta cum vehementia impingit, ut mox ingens floridi ſanguinis torrens per fauces exſiliret. Ad horridum hoc ſpectaculum metu perculſus juvenis, quaſi fulmine tactus concidit; Adveniunt parentes: Miſerum inveniunt humi proſtratum, & largo ſanguinis rivo, ex proprio pectore jugiter ſcaturiente, innatantem. Ægrotum lecto committunt, & mox Venæſectionem brachii curant adminiſtratam: Deinde obſtructioni alvinæ biduæ proſpecturi filio dimidiam rhei pulveriſati drachmam offerunt.

Postero mane meam implorant operam: Adveniens pulſum tango ſerratum, frequentem, ſubdurum. Emiſſum ſanguinem heſternum cruſta

mucoſo-

mucoſo-fibroſa tectum, & grumum obtegentem compactum durum invenio: Æger dolorem conquerebatur preſſorium, moleſtum, pectoris totius, cum ſenſu vulneris ad mediam circiter & paulo magis ſiniſtram ſterni partem inflicti, mox a diro caſu diſtincti: Haud ſine moleſtia reſpirabat: Contracta ſub itinere matutino dicto tuſſis catarrhalis læſos pulmones frequenter ſolicitabat malo omine, dum ſemper fere ſequebatur tuſſin pede preſſo notabilis floridi ſanguinis radius ſatis craſſus, magnoque impetu ultra fauces proſiliens, & poſt tres circiter quartas partes menſuræ ſanguinis ejectas deſinens.

Suspicans læſum vas quoddam notabilioris diametri ſanguiferum pulmonum, nullum niſi ægro fatale præſagium condere potui: Satisfacturus autem pro ratione artis & ingenii indicationibus præſentibus reiterandam mox juſſi Venæſectionem largam: dedi remedia antiphlogiſtica leniter diaphoretica, becchica, alvumque leniter moventia. Venæſectioni ultimæ ceſſit compreſſio & frequentia pulſus, qui mollis, tardus, æqualis fiebat, ſed ſimul parvus: Reſpiratio liberior erat:

Preſſorius

Pressorius pectoris sensus transibat, sed spretis remediis reliquis internis hæmoptosis per integrum quatriduum perstitit rebellis, larga, forsan qua reditum paulo rarior: Genæ roseæ pallidum Libithinæ induebant colorem: Æger noctes agebat insomnes, tussicula sicca, frequenti, molestatus identidem: Demum facies collapsa, oculi concavi, decrementum pulsus assiduum suadebant solam indicationis vitalis rationem habendam: Huic morem gessurus ad Decoctum Corticis Peruviani confugio, sacram, quæ Practico methodico in rebus ægri adeo conclamatis supererat unica, anchoram: Sed eheu! Votis adeo non respondebat, ut sub ejus usu potius in pejus ruerent omnia: Rediit oppressio pectoris: Tussis aucta: Hæmoptosis copia & frequentiâ gravior facta fuit. Tanta igitur spe frustratus, misso cortice, aliam inivi medendi viam: Tot splendidis remediorum titulis sæpius deceptus: Totidem numero encomiis fallacibus a justa via declinatus subscripseram dudum regulæ Practicis quibusque cordatis & veris Hygeæ adytis initiatis acceptæ: *Quos sc. ratio medico-theoretica non adjuvat, sæpe temeritas*

clinico

clinico experta, præceptis quibusque profunda doctrina splendidis, non addicta, *restituit.*

ÆGRO ad tumulum de hora in horam appropinquanti sequentem præscripsi formulam:

R. Pulv. Sacchar. candi ℥v.

Radic. Ipecacoanh. gr. IV.

M. Exactissime tritura protracta: Deinde Dividantur in XVI. Doses æquales: Detur una ex Aqua frigidiuscula tertio quoque horæ diurnæ & nocturnæ quadrante.

DEGLUTITAM tertiam hujus pulveris dosin sequebatur vomituritio, quæ deinde per totum, quo hoc remedio utebatur æger, tempus, persistebat invariata, & ab assumtis liquidis quibusque increscebat. Cæterum sub usu hujus, haud secus ac præcedentium remediorum, regimen observabat, pro anni tempore, frigidissimum, quietem corporis maximam, diætam antiphlogisticam, strictissimam.

A quo primas hujus pulveris doses sumsit noster, tussis pedetentim decrevit, hæmoptosis sicca de hora in horam rarior, & minuta copia rediit: Cutis, sub fervidissimo sole æstivo antehac

per

per totum morbum aridiſſima, jam lætum tranſpirabat madorem diurnum & nocturnum, continuum: Alvus autem ad data quæque ducentia interna, etiam Ipecacoanham, (cujus attamen ad grana V. pro doſi datam vim laxantem tutam haud ita pridem in dyſenteria expertus eſt Cel. Anglus PRINGLE), immorigera manſit, clysmate quotidiano ſollicitanda.

INTRA biduum hæmoptoſis ceſſavit penitus: Tertio mane æger deglutivit pulverem juxta prædictam formulam deſideratum, ſed vitio pharmacopolæ tanta Ipecacoanhæ copia prægnatum, ut violentus ſequeretur vomitus triplex, ſed quod mirum, nec ſummus, quo ad hoc ſpectaculum æger contremuit, metus, nec graves pectoris concuſſiones, in liquidis, per vomitum ejectis, largis, glutinoſo mucoſis, ullum dederunt ejecti ſanguinis ſtigma ſive veſtigium. Æger potius circa præcordia vomitu allevatus, ſeſe meliorem deprædicavit.

CONTINUANDAS ſuaſi partitas ipecacoanhæ doſes dictas, 14 circiter a finita hæmoptoſi diebus: Sicca tuſſis, qua premebatur in initio, ſub

usu harum paulatim humidior facta, demum cocta dabat sputa, iis pleuritidis idiopathicæ judicatæ simillima. Urina hypostatica sedimentum deponebat rubrum, mucosum: Somnus rediit, pro statu ægri, tranquillus satis: Pulsus autem restitabat parvus, tardus: Intercurrebant phlogoses faciei pomeridianæ cum ardore volæ manuum & plantarum pedum: Æger ipse protracti Ipecacoanhæ usus, & vomituritionum continentium pertæsus aliam impense desiderabat Medicinam:

Dedi igitur, post præmissum laxans ex Sero lactis tartarisato Manna Calabrina ditatum, Decoctum Corticis Peruviani modice saturatum, maritatum Spiritu Salis dulcis & Syrupo Cucumerum. Deinde auctor fui suasorque, ut æger ante & post meridiem hauriret mediam Seri lactis Mensuram: Denique diætam præscripsi lacteam, vegetabilem parcam.

Votis respondit eventus: Vires de die in diem increverunt, licet gradu lento: Appetitus rediit: Expectoratio mucosa cocta perstitit, levans sensationem quasi molestam pectoris, sub respiratione profundiori restitantem adhuc.

Circa

Circa medium menſis Sextilis Sero lactis ſubſtitui Succum Cucumerum recentium expreſſum, ad duo excipula thealia indies hauriendum; His remediis ad ſerum usque autumnum uſus eſt noſter cum euphoria, niſi quod ſenſus preſſorius pectoris aliqualis adhuc nullis remediis cederet.

Denique remediis valedixit noſter, bene valens, tranquille dormiens, a tuſſi tantum non immunis, cibos perbene appetens, hilaris vultu & mente, ſucceſſu corporis olim exſucci jam de die in diem magis repleti ovans. Svadeo reconvaleſcenti, ut ne nimis crederet colori, quin ad minima potius attentus, Venæſectiones celebraret identidem repetitas ſed parcas, ſtricta ratione habita ſtatus corporis, anni temporis, & diætæ, proximoque autumno ſuccum Cucumerum expreſſum per aliquot hebdomadas reiteraret. Sancivi regulam, ut, præter Venæſectiones reliquas annuas, ſemper initio menſis Julii cujusque Venam tunderet: Per annum & dimidium promiſſis ſtetit fidus, optimeque valuit, manentibus nullis morbi, e quo evaſerat, veſtigiis præter ſenſationes preſſorias pectoris intercurrentes, maxime circa cardinalia anni tempora,

& difficultatem ſpiritus anheloſi ſub aſcenſu ſcalarum accelerato. Poſtea autem firmitudini valetudinis confiſus Venæſectiones diſtulit: Die 15 Julii 1780, anniverſario primi fatalis, qui morbum inceperat, ſatis bene valens & hinc Venæſectionis initio Julii celebrandæ annuæ oblitus, ſubito absque prævia cauſa occaſionali manifeſta ulla, circa horam veſpertinam circiter, qua prima invaſerat hæmoptoſis, novam paſſus eſt, licet gradu & vehementia minorem. Iterum vocatus ſimilem præſcripſi formulam Ipecacoanhæ cum Saccharo cum eodem effectu: Hæmoptoſis mox inhibebatur, & uſum pulverum ſequebantur ſputa cocta, uti prius: Deinde ſuadentibus circumſtantiis reliquis, corticem Peruvianum, ſerum lactis & Succ. Cucumerum recentium expreſſos juſſi ſucceſſive repetendos: His paulatim vires & ſanitatem recuperavit juvenis, poſtea ad ſtatum ſui corporis magis attentus: poſt ultimum morbum ſenſus preſſorius pectoris omnis ſiluit perfecte: Absque incommodo in gradus ſcalarum aſcendit, ambulat, non tuſſit. Color naturalis vividus, qualis ante primum morbi inſultum fuerat, rediit,

diit, habitus corporis repletus magis eſt, nec ulla ad hunc usque diem conſpiciuntur indicia phthiſin præſagitura; Ante annum graviter decubuit catarrho epidemico vernali, dira moleſtatus tuſſi & violenta, absque tamen ut ullæ ſanguinis ſtriæ expectoratum tingerent unquam.

Nullus dubito Ipecacoanhæ adſcribere vim qua utraque hæmoptoſis inhibita fuit, licet vel maxime fatear lubens, me ignorare æque bene modum, quo tam exigua hujus remedii doſis ſtupendum adeo præſtiterit effectum, quam modos operandi reliquorum plurimorum, quibus utimur, pharmacorum. Nunquam, ſi vera fatebor, mihi ſatisfecerunt doctæ Eruditorum nugæ, precariis ut plurimum ſuperſtructæ hypotheſibus, ſplendidis, caſtæ veritatis ſigillo ſimplici denudatis, ad explicandum modum operandi remediorum excogitatæ. Varias naturæ operantis methodos detexit ſagax hominum cujusque ævi induſtria: Sunt certi autem fines, quos nunquam transgredi licebit limes intellectus humani: Millena millia reſtant quæ ignoramus, quorum plurima ne fando quidem audiveramus, ni exiſtentiam talium de-

claraverat experientia fortuita. His adscribantur, communi Practicorum fidorum consensu, effectus remediorum, quæ nostris ægris propinamus, plurimorum. Mihi omnino non sorte data est perspicacia tanta, ut intelligerem effata Medicorum Illustrium a PISONE, qui primus Ipecacoanhæ laudes in terris Europeis cecinit ad coævos nostros usque, qui uno ore clamant *Ipecacoanham hæmorrhagias profusas, miraculi instar, sistere, quia vires possidet roborantes, adstringentes, balsamicas. Ut autem elegantes hæ vires omnes Indicæ huic Radici insint, probaturi, ad vires ejusdem anthæmorrhagicas confugiunt.*

Majorem præ se tulerat veritatis speciem hypothesis pro explicanda vi antihæmorrhagica Ipecacoanhæ, minutis portiunculis datæ, si confugerant ad præcepta Chirurgorum sistentium hæmorrhagias vulnerum recentium: Hi omnes ad id intendunt nervos, ut humorum versus locum vulneratum impetus tollatur, & parti læsæ summa concilietur quies, citiori partium conglutinationi locum datura. Quod si jam dixissent materiæ medicæ scriptores, hæc vestigia pressi: Data Ipecacoanha

levamen,

levamen, affert ſymptomaticum hæmoptoiſis, & hæmorrhagiis internis quibusque laborantibus, quia partibus læſis majorem dat quietem vomituritiones ciens conſtantes: Quotquot etenim vomituritiones patiuntur omnes, teſte experientia, reſpirationi ſtudent leviſſimæ, tardiſſimæ, motu diaphragmatis leviori ſolo perficiendæ, maximæque indulgent muſculorum abdominalium quieti: Vis emetico-ſtimulans Radicis Ipecacoanhæ perſiſtens, ingentem ſucci lymphatico-gaſtrici torrentem ad ventriculum allicit inceſſanter: Hinc moles humorum per reliqua corporis loca circulantium fit reſpective minor, adeoque circulatio hoc reſpectu tardior: Quo tardior fit reſpiratio, eo minor ſit neceſſario celeritas ſanguinis per pulmones circulantis: Qno minor, eſt maſſa humorum circulans, eo minor eſt impetus, quo ad arterias pulmonales allicit latex vitalis ex corde dextro ejectus ſingula ſyſtole. Verbo: ſi vim antihæmorrhagicam Ipecacoanhæ non in radice ſola, ejusque partibus conſtitutivis ſpecificis, ſed in oèconomia & ſympathia partium corporis humani vivi ſimul poſuerant.

XV.

OBSERVATIO DE MORBO MACULOSO HÆMORRHAGICO.

Auctore JOANNE PHILIPPO ROGERT,

M. D. Dioecef. Viburg. Iutl. Phyf. Reg. Societ. Memb. Extraord.

PUELLA XXII annorum, habitu corporis teneriori & alba cute gaudens, animo valde mobili, in iram proclivifſimo, quæ vitam ſedentariam vel potius otioſam degebat, operam in famulando puellulæ cuidam nobili collocans, Cephalalgiis, Epiſtaxi, & Ophthalmiis frequenter obnoxia, regulariter hucusque, licet cum quadam moleſtia, menſtruata, quum ſub fluxu menſtruo menſe Novembri Anni MDCCLXXVII ſaltando multum incaluiſſet, iteratis vicibus ſe acri Vento oppoſuit, ut æſtum reprimeret. Cui refrigerio ſucceſſit tuſſis valde moleſta cum inordinato menſium fluxu per III inſequentes menſes ad calendas Martii usque, quibus fluxus uterinus largiſſimus acceſſit, cum

inſigni

insigni Cephalalgia & anxietate præcordiorum, ad lipothymiam fere increscente.

ALTERO die lectum petere coacta fuit, haud leviter perterrita visu sanguinis tenuioris, foetidi pleno ore rejecti, ex bullis labia oris, linguam, gingivas obsidentibus, & sponte vel levissima attrectatione ruptis, profluentis. Nares quoque sanguinem fundebant; grumi coagulati tussi evacuabantur, & urina crassa ad nigredinem vergebat. Maculæ rubræ majores V-VI linearum, minoresque morsus pulicum referentes in facie, trunco, & præcipue extremitatibus erumpebant, quæ paucis præterlapsis diebus nigrescebant. Nec conjunctiva oculorum maculorum erat expers.

E bullis ruptis proveniens sanguis colorem sano æmulabatur, non minus ac ille, qui, Vena in brachio secta, profluebat, quique serum ægre dimittebat, nulla tectus crusta.

HISCE malis ut mederetur, Nitrum cum oxymelle ex decocto hordei porrectum fuit, & quietem egit, viribus tanto dispendio sanguinis nihilominus vix iminutis. Quo fluxu Vto Martii persistente, pedis vena tundebatur; alias omnia

nia in eodem tenore, nisi quod Rhei pulvisculus alternis diebus datus hæmorrhagiam per naturalia sedare videretur.

D. VIII Martii menstrua cessabant, ast hæmoptysis & urina cruenta identidem recurrebant, viribus quodammodo integris, redeunte appetitu & somno. D. XVI M. urinam rubicundam, mox turbidam emisit cum stranguria & dolore infimi Ventris, jam inflati; Tussis & oppressio pectoris leniebantur, quoties grumum sanguinis ejiceret. Præterea valde molesti fuerunt Susurrus auris dextræ & crepitus in capite (Smetten) perceptus. Lingua crusta alba mucosa abducta.

Hic fuit morbi status, quum ego procul satis dissitus, litteris de morbo certior factus, de natura & medela miri & insoliti prorsus morbi consulerer. Quem dissoluto sanguini adscripsi, licet causam dissolutionis indagare nequiverim.

Habent quidem fasti medici exempla macularum, & hæmorrhagiarum ex dictis, immo magis insolitis viis in scorbuticis, febre putrida decumbentibus, Amenorrhoeicis, venenis ingestis vel externe inflictis serpentum Sepis, Labarræ

Ameri-

Americanæ, hæmorrhoidis aliorumve. Aſt horum nulli ortum debere viſus fuit morbus. Habitabat quidam ægra in prædio, in littore ſinus limici ſito, febribus intermittentibus frequenter obnoxio; num vero ſcorbutica diatheſis ex ſolo tantum acuſanda venit, nec diætam pravam conjunctam requirit? Hæmorrhagiæ quoque ſcorbuticorum & putride febrientium inſigniores non niſi ſub mortem cum cita & magna prægreſſa debilitate oriuntur, quæ in præſenti caſu abfuit. Qui ex vitio menſium in ſolitis viis profluit ſanguis frequentiſſimam cauſam illorum ſuppreſſionem agnoſcit. Menſtrua vero ægrotæ noſtræ non ſuppreſſa fuerunt, ſed inordinate tantum per aliquod tempus fluxerunt. Nec ingeſti veneni, ut piſcis corrupti, aliusve fuit ſuſpicio, illo enim die, quod ſciſcitando intellexi, juſculum, cui caro ſuilla erat incocta, ſumſerat, quod vero in morbi cauſa determinanda haud cæteris majorem attulit lucem, niſi diceres ob ſingularem in corpore latentem diſpoſitionem per genitam ex juſculo lardaceo ſaburram morbum prorupiſſe.

UTUT

Utut erat, ex Analogia morbi proxima cum ſcorbuto ductus, medelam ad ejus indicationes inſtitui. Hinc a ſanguinis miſſione abſtinendum, laxans mannatum mox ſumendum, deinde pulveris Cremori Tartari & Rhei anaticis partibus mane & ſero ſumtis alvum quotidie aperiendam ſuaſi. Eo magis utilitati evacuantium hujus generis confidens, quum partim de inſigni ſympathia inter Ventriculum & primas vias atque cutim perſuaſus eſſem non tantum in morbis cum petechiis ex bile acri & effuſa, vel aliis impuritatibus, ſingulari miasmati nuptis, ſed & in aliis eruptionibus cutaneis ex ingeſtis mytulis & abſorbentibus manifeſta (ut, vice verſa, frictione crurum dolentium ructus numeroſos emiſiſſe foeminam vidi, cfr. c. Obſerv. Morgagni de Sed. & C.M. Epiſt. XLIII, 9.) partim quod Rheum hæmorrhagiam per naturalia primis morbi diebus imminuiſſe viſum fuiſſet. Corticis peruviani drachmam dimidiam bihorio ingerendam & potum Vitrioli ſpiritu inſtillato large acidulatum injunxi; hisque pro lubitu interponendum infuſum Raphani ruſticani cum Sinapi cereviſiatum; & ut,

pinguibus

pinguibus & ſalitis ſepoſitis, lacticiniis, carne recenti cum vegetabilibus veſceretur.

D. XXV M. reſcripſerunt, ægram extra lectum jam verſari, viribus auctis, habitu a ſano vix diverſo, appetitu & ſomno naturalibus, licet ad hucdum continuo grumos ſanguineos ore ejiceret. Urinæ ſtrangurioſæ inerat cuticula cæruleſcens. Suſurrus dictus, crepitus & maculæ, quæ jam ex nigro flavo-virides fiebant, perſiſtebant. Tumor vero Epigaſtrii ſubſederat, menſtruo fluxu largiſſimo d. XXIII. M. redeunte. Nec calor, nec ſitis naturalem excedebant modum, at ſumme impatiens & animo abjecto erat. Dictis remediis addidi Conſervam Roſarum cum Nitro ſæpius lingendam, & infuſo Raphani, quod faſtidivit, Malthi ex hordeo ſubſtitui, quo alvus lubrica reddita fuit. Hauriebat quoque ſubinde Cochleariæ hortenſis, ſucci expreſſi Vaſculum.

Hiſce ſymptomata ſenſim adeo miteſcebant, ut, quum illam d. XXI Aprilis viderem, florido faciei colore eſſet prædita, euſarca, animo & corpore vigens. Nec poſtea de ullo ſimili malo fuit conqueſta. Epiſtaxis & Ophthalmiæ multo rario-

res

res occurrunt, at Cephalalgia interdum revertitur; regulariter poſtea eſt menſtruata. Pulſus ſub morbo rationem inire nequivi abſens, nec adſtantium aliquis hujus explorandi adeo fuit gnarus, ut aliquid certi exinde eruere potuerim.

XVI.

XVI.

OBSERVATIO DE FOETU APERTO ABDOMINE, VISCERIBUSQUE ABDOMINALIBUS SOLO PERITONÆO TECTIS NATO.

Auctore MATHIA SAXTORPH, M. D.
Medic. & Artis Obstetric. Prof. Publ. Societ. Membr. Ord.

MULIER plethorica partu protractiori laborans, meum auxilium petiit; Accedens ad illam, uterum inveni rite locatum & extensum, situm foetus partui satis commodum, nec ullum in pelvi obstaculum, partus progressum remoraturum observare potui; Lente interea progredientibus doloribus, segnitiem matricis, sine dubio ex sanguinis nimia copia ortam, solam lentioris partus causam esse suspicatus sum: In hunc finem ut vasa turgidiora uteri muscularem vim infringentia, solito modo deplerentur, venam jussi in brachio secandam, emissa deinde per venæsectionem debita sanguinis quan-

quantitate, inordinatos qui diu adfuerant uteri spasmos paregorico remedio sustuli: post paucum temporis spatium dolores partus in ordinem redacti, vehementiores facti, partum strenuo promovebant; Ex voto tali modo succedente partu, post 24 horas infantem in lucem edidit parturiens, vivum, vegetum satis, & robustum. Dum vero in eo versabatur opera, ut funiculus umbilicalis ligaretur, en, mirandum satis spectaculum! abdomen foetus qua late patet in anteriori parte, nudum, musculis & integumentis communibus a sterno ad pelvim usque penitus destitutum, soloque peritonæo obtectum apparebat; loco in ventre solito inserebatur funiculus, intestinaque intra peritonæum ordine & gyris suis convoluta transparuerunt; violentia vero partus distenta valde, rubra, & inflammata, omnique ut videbatur motu peristaltico destituta: Triduo demum post partum, moriebatur infantulus, cui per totum tempus quo vixerat, ne exsiccaretur peritonæum, tepido lacte exterius fomentabatur abdomen.

Non ingratum credo anatomicis esse opus, si ejusmodi monstrositates, quas credula ætas

quondam

quondam imaginationi maternæ adſcripſit, ſedulo annotentur. GOCKEL in *Gallicinio medico practic. Cent. Ima Conſ.* 40. *&* in *Ephem. N. C. Dec. II. A. VI. Obſerv.* 126. *pag.* 263. notavit infantem ex fortiſſima matris imaginatione, monſtroſa umbilici relaxatione, ac inteſtinorum extra corpus propendentium, prolapſu natum. Loquitur BARTHOLINUS noſter in *Hiſt. anat.* 32. *Centur III.* de monſtro exertis inteſtinis nato. STENO in *Act. Havn. Vol. I. obſ.* 110. *p.* 200. mentionem fecit embryonis, cui cor, hepar, ventriculus, lien inteſtina fere omnia extra cavitates thoracis & abdominis propendebant. Adeo ut ejusmodi fætuum exempla inteſtinis nudis per apertum abdomen propendentibus natorum, non adeo rara invenirentur, ſi non a medicorum viſu remoti, muliercularum & obſtetricum occultis conſiliis tacite terræ amandarentur.

Inter multos obſervatores (a) nemo, quantum ſcio, foetui noſtro ſimilius adduxit exemplum

quam

(a) Vide Morgagn. de Cauſ. & Sed. Mobor. Epiſt. XLVIII. Art. 54. Bonnetus Med. Sept. P. II. p. 136.

quam egregius PETITUS (b) qui descripsit foetum difformatum, cujus abdomen patulum, cute musculisque a Cartilagine Xyphoidea usque ad ossa pubis, & ab una regione lumbari ad alteram destituebatur, viscera interna solum peritonæum obtegebat.


NONNE itaque tot exempla similium monstrorum, observatorum fidelium assertione toties probata, & ad amussim inter se convenientia manifesto arguunt id quod antea in hoc Societate innuimus, quod sc. mechanicis potius, utut nobis latentibus, causis adscribenda sint hæc naturæ exacte regularia producta; quam stolidæ mulierum imaginationi in diversis foeminis sine dubio nunquam non diversissimæ?

Neque physiologorum attentioni indigna sunt talia exempla, quæ solitam doctrinam infringunt potius quam confirmant, qualis est illa de motu intestinorum peristaltico, quem per pellucidam peritonæi membranam nec ego in hoc infantulo, nec Celeb. CALLISENIUS noster, (an fortasse ob statum inflammatorium horum viscerum?) cernere valuimus:

(b) Histoire de l'Acad. R. des Sc. Anno 1716.

valuimus: Ne de respiratione; secretionibus & excretionibus in abdomine, loquar, quæ si solo diaphragmate non perficiuntur, ob defectum musculorum abdominis modus, quo peragebantur in hoc infante, a nemine rite comprehendi potest.

PATHOLOGIS nec parum interest ingenium exercere suum in servandis ejusmodi infantibus, quos summus rerum Conditor in gloriam suam & humiliationem generis humani, vivos in lucem excludendos voluerit.



XVII.

DE HYDROPE OBSERVATIONES

URBANI BRUN AASKOW,

M. D. Archiat. Regii, Societ. Membri Ordinarii.

VIR 46 annos natus, initio anni 1778 a convivio sero rediens, genitalia & partes adjacentes, (hic enim mos ei erat) fungo aqua frigida madido lavabat. Mox inde mejendi sentiebat difficultatem ac levem circa pubim & perinæum dolorem. Post duos menses meum petiit consilium, licet nullius momenti crederet malum. Pulveris, *temperantis salini* dicti, drachmam unam omni vespera, me suadente, assumsit: quo levatus vix amplius malum sensiit. Mense autem Junio parcior & difficilior fluebat urina, & ad talos leve circa vesperam observabatur oedema. Iterum vocatus pulverem nominatum cum sale polychresto præscripsi, pubemque ut oleo volatili, laneo vero panno sicco pedes, fricaret, suasi. Præterlapso

octiduo

octiduo ſtatus adhuc peior erat, lingua valde arida, ſordida, alvus ſicca, de ſiti & anxietate circa præcordia querebatur æger. Hinc mixturam ordinavi e ſale cathartico amaro & cremore Tartari in aqua deſtillata ſolutis, ſingulo mane propinandam ut & Thee juniperinum; veſpera vero pulverem refrigerantem. Aula poſt 14 dies relicta, rediens vidi pedes & crura amici noſtri ultra genua oedematoſa valde tumida; urina parca, rubra fluebat; ſtatus ceterum idem ac antea. A dicta purgante mixtura ſe peius habere, ut & ab aliis remediis tam domeſticis, quæ amici valde laudaverant, quam diureticis a medico præſcriptis, refert. Variorum iterum diureticorum tentavi uſum, ſed a ſcilliticis etiam leniſſimis anxietates procreabantur & urina parcior fluebat; nec ſalia alcalina magis quam alia remedia profuere.

Calorem æſtivum ingentem, æque ac moerorem amantiſſimæ conjugis, quæ gravida tunc erat, ac prolis numeroſæ conſpectum, vires & animum ægri infringere conjeci, hinc ſub initium menſis Auguſti, ut mecum rus abiret, perſuaſi. Diætam hic debitam exactiſſime obſerva-

 bat

bat æger. Ut in aprico aëre, quantum vires ferrent, obambularet, ac quotidie plaustro, quali utuntur rustici, veheretur, hortabar. Remedium præterea præscripsi e pulveris refrigerantis unciis duabus & salis polychresti uncia una constans, unde drachmas ad minimum sex quotidie caperet: Frictiones ipse quavis vespera instituebat pannis fumo aromatico imbutis. Elapso octiduo omnia in melius conversa apparebant; urina copiosior, vires quoque & animi & corporis redire incipiebant. Altero quoque peracto octiduo crurum ac pedum evanuerat tumor, ita ut cutis panni instar in plicas colligi posset; facies vero partesque corporis superiores passim tumebant: Sudor quoque matutinus aderat.

Jam vero horum remediorum pertæsus æger, ventriculi inde mala & appetitum læsum esse arguens, illis ulterius uti plane noluit. Hinc tincturam Rhei cum liquore terræ foliatæ Tartari & spiritu salis dulci præscripsi, &, ad diaphoresin promovendam, vespera vini antimonialis & laudani liquidi levem dosin. Omnia adhuc per octiduum optime succedebant. Ægro debilitatem

grauem

grauem incusante, corticis peruviani cum elixir vitrioli quasdam porrexi doses. Mox vero urina parcior missa fuit: & quum plaustro, pro more, vectus æger procella frigidissima, inopinato surgente, perflatus fuisset, sequenti mane anxius valde denuo intumuit. Pulveres salinos nondum assumere volebat, reliqua remedia uti & vinum amarum leniter diureticum, atque tinctura cantharidum nullum dedere levamen. Quare metropolin rediit eodem fere in statu, in quo eam reliquerat, cum pedibus & cruribus valde tumentibus, minus tamen mane quam vesperi. Hinc post frictionem ligaturam suasi fascia, expellentem dicunt, quam expertus injiciebat chirurgus. Succum cucumerum ad uncias sex capiebat æger quotidie, & vespera pulverem refrigerantem cum duplo cremoris Tartari. Largior fluebat quidem urina, sed partes supra ligaturam valde tumebant, uti & abdomen ac facies; leves sentiebantur dolores colici & oppressio pectoris, noctu inprimis molesta, quæ demum adeo increscebat, ut asthmate correptus sanguinem postea exspueret æger, hinc fascia mox discindebatur nec amplius in usum trahebatur.

batur. Tumor crurum magnus & durus mox iterum increvit, cui removendo vix suffecissent remedia interna, hinc scarificationes utriusque pedis solito instituebantur loco. Copiosa mox aqua effluebat, &, porrectis simul salinis pulveribus vespera & mane, urina indies largior reddebatur. Elapsis 4 diebus loca quædam scarificata inflammari coeperunt, licet aqua calcis cum sale ammoniaco fota fuerint; febris quoque exoriebatur vehemens, inflammatio augebatur, claudebantur aperturæ scarificatione productæ. Fomenta discutientia pedibus applicabantur: pulveribus utebatur æger salinis & quater per diem mixtura camphorata acida.

Aliquot dein elapsis diebus altero in pede conspiciebatur gangræna, & loca incisa nigricabant. Hinc pro fotu sedulo adhibendo corticem ordinavi peruvianum in aqua calcis coctum cum sale ammoniaco, proque usu interno decoctum corticis ejusdem meracum; nec non ob insignem crurum tumorem, ut in parte superiori scarificatio iterum instueretur ad aquam partes inflammatas valde distendentem evacuandam, monui.

Non

Non multum aquæ hac educebatur ſcarificatione, & poſt paucos dies ſponte ſanabantur vulnuſcula inflicta.

Ab uberiori decocti corticis peruviani uſu pectus ſibi opprimi, alvumque æque ac urinam ſupprimi querebatur vir optimus; quare, ut illud modo quater per diem caperet, ſuaſi, & veſpera dimidiam circiter unciam pulveris ſalini antea nominati; vinum generoſum ob vires collapſas concedebatur.

His omnia in melius vertebantur; gangræna diſparuit, ſphacelo affecta cutis ſolvebatur, ſuppuratio ſuccedebat, aqua haud parce effluebat, febris ſenſim evaneſcebat, urina larga mittebatur ruberrima, ſanguinolenta cum hypoſtaſi nigra, grumoſi inſtar ſanguinis: vires jam redibant, ita ut e lecto ſurgere valeret æger. Decoctum corticis peruviani parcius jam ſumſit, ſed eo copioſius pulverem, præteraque quovis mane uncias iv ſucci Cynaræ cum vino generoſo.

Versus finem anni fere penitus erat ſanatus optimus noſter vir. Diætam exquiſitam ſervans corpus aſſidue movebat, & pulvere, quem jam

optime ſibi convenire erat convictus, per plures adhuc menſes uti pergebat. Æſtate anni 1779 ruſticatione, aqua Pyrmontana & lenioribus martialibus debite firmabatur corpus.

* *
*

MATRONA ſexagenaria æſtate anni 1779 poſt confectum longum iter, ſudante corpore, vento frigidiori flante, male habuit: oedemata acceſſere pedum, intra paucos dies ita aucta, ut jam crura & abdomen valde tumerent, & anheloſa quam maxime eſſet ægra. Varia ei præſcripta fuerant remedia ſolventia, purgantia, diuretica amara, frictiones & ultimo quoque ligaturæ, quæ, me adveniente, adhuc conſtrictæ erant. Nullo ſe antea morbo laboraſſe dicebat ægra poſt ligaturam crurum autem anhelationem & oppreſſionem pectoris valde incommodas eſſe. Urina parca rubra evacuabatur.

FELICI in priori caſu deſcripto ſucceſſu hortatus pulverem præſcripſi e pulveris refrigerantis unciis duabus & cremoris Tartari uncia una

com-

compositum, unde dimidiam ad minimum unciam quotidie caperet ægra: Removebatur ligatura, cujus loco frictiones instituebantur aromaticæ.

Post tres septimanas ægram iterum videns illam extra lectum reperi ejusque statum multo meliorem: Levior modo aderat tumor, alvus liquida, vires autem debiles. Hinc dictum pulverem mane tantum & vesperi sumendum, bis autem quovis die Elixir ex amaris extractis cum liquore terræ foliatæ Tartari & spiritu salis dulci confectum, suasi. Horum remediorum usu intra mensem penitus sanabatur ægra, sanaque adhuc vivit.

Allatæ observationes hæ nil novi quidem docent, probant autem & quam maxime conveniunt cum aureis, quæ ad Illustr. Hallerum circa hydropem scripsit Celeb. Tissot, præceptis: " *Nec purgantia, nec diuretica fortiora omnibus* " *convenire hydropicis; cremorem vero Tartari,* " *nitrum & plura salia sæpe in hydropis initio,* " *nullo viscere valde infarcto, eximiæ virtutis.*" Anne semper & magis conducant remedia salina in hydrope a subito læsa & suppressa transpiratione?

tione? Cuinam ignotum eſt, catarrhos, rheumata, inflammationes ex hac ortas cauſa his pulchre tolli remediis? Potum nec his nec ulli alio hydropico interdixi, clar. MILLMANNI argumentis jam magis de diluentium in hydrope neceſſitate convictus. Ligatura ad ſuſtentandas cutim & celluloſam relaxatas & aquæ copia diſtentas optime convenit; cavendum tamen ne nimia vi urgeatur aqua ad partes nobiliores. Nuper in foemina nobili, cui carpus poſt lapſum diſtentus intumuerat, faſcia injecta anhelationes & ſyncopen produxit, quæ autem faſcia laxata evaneſcebant.


SCARIFICATIONES ad aquas hydropicorum evacuandas laudarunt dudum CELSUS, MONRO, TISSOT, & complures alii eximii in arte viri.

ANNE noſtro in ægro febris ab inflammatione orta ad reſorptionem aquarum cutisque contractionem tantundem ac adhibita remedia contulit? Non raro vidi oedemata febri exorta diſparuiſſe: Quinimo in infante ſub varioloſa febre diſparuit hydrocele.

SUCCUS

Succus Cynarum cum æquali vini quantitate magnam in hydrope, præſertim ſcorbutica, exſerit virtutem.

Succus cucumerum recentium expreſſus in anaſarca phthiſicorum ſæpe profuit, hocque remedio aliquot ante annos puerperam phthiſi & anaſarca laborantem ſanavi, ſimul porrecto cortice peruviano.





XVIII.

XVIII.

SYMBOLA AD HISTORIAM MORBILLORUM EPIDEMICE

Anno MDCCLXXXI Grassantium.

COLLATA

AB

Andrea Broeberg Ranöe,
M. D. & Societatis Membro Ordinario.

Mitissima licet in genere fuerit morbillorum, qui per quatuor menses prægressos grassati sunt, indoles, non inutile tamen fore credidi, si illa quæ in hac Epidemia observaverim exponerem; cum constitutiones epidemicas sibi nunquam perfecte similes, sed mire sæpe discrepantes inveniamus, ita ut quævis fere singulare quidpiam sibi proprium & notatu memorabile exhibeat.

Jam sub fine mensis Novembris & in Decembre anni præteriti quasdam vidi febres continuas simplices, exanthematibus efflorescentiæ morbillorum simillimis stipatas, absque ullo tamen

alio

alio ex eorundem pathognomonicis ſignis: apparebant & diſparebant hæ maculæ ſine minimo vel emolumento vel incommodo ægri, ſine omni incremento & decremento morbi, & dein penitus euaneſcebant nulla ſubſequente deſquamatione.

Anne hæ febres præcurſores morbillorum ſalutandæ? uti Diarrhoeas dyſenteriam epidemice graſſaturam interdum præcedere obſervamus.

Morbilli vero ipſi menſe Januario anni currentis ſeſe paſſim ingerere coeperunt, ac indies dein latius diffuſi non modo infantes ſed & adultos invaſerunt.

In plerisque ægrotantium laſſitudo univerſalis cum ſomnolentia perpetua præludens morbi Symptoma erat: hæc inſequebantur horrores & calores alternantes in æſtum dein continuum deſinentes, cum ſiti, inappetentia, tuſſicula frequenti ſicca, dolore capitis, oculorum ſplendore, ardore, impatientia lucis, lacrymatione, coryza, raucedine, tumore aliquali palpebrarum & totius faciei, dolore faucium, deglutitione plus minus moleſta: reſpiratio nemini valde laborioſa erat: haud paucis dolebant oppreſſa præcordia: vomebant

bant

bant multi: quosdam largus ſatis vexabat ptyaliſmus: Lingua omnibus cruſta alba ſubflaua tecta, pulſus celer duriuſculus: fluebat quibusdam alvus, longe pluribus obſtipata: urina vix aurantia turbida craſſa: plus quoque ſimplici vice infantes in hoc ſtadio convulſionibus correptos cernebam.

Atque hæc erat facies morbi ad quartum diem, quo plerumque, raro ocius interdum ſerius, incipiebat eruptio. Apparebant primum in facie maculæ parvæ rubræ, pulicum morſibus perſimiles, exactam circularem tamen haud ſervantes figuram, auctæ hæ tam numero quam magnitudine in corymbos coaleſcebant, paululum ſupra cutis ſnperficiem elevatos. Dein in pectore & artubus magis latæ conſpiciebantur maculæ cutim non ſuperantes.

Per tres dies plerumque durabat hoc ſtadium, ita ut ſeptimo morbi die exanthemata pallere, & cutis in facie exaſperari inciperet, & duobus ſequentibus diebus deſquamatio per reliquum corpus perficeretur. In quibusdam tamen maculas evaneſcentes & nullam ſubſequentem deſquamationem obſervabam: interdum quoque

in

in ſquamas majores, uti in ſcarlatina fieri ſolet, interdum in ſquamas minores, furfurum ad inſtar, tenella ſecedebat cutis.

Eruptione facta ſæpiſſime ſtatim deliniebantur Symptomata, imprimis dyſpnoea, febris, tuſſis ſucceſſive dein cum reliquis ceſſantia: in multis durante eruptione abundantem hæmorrhagiam narium levantem, & in tribus caſibus vomitum poſt eruptionem vidi, ac in puella trienni Iſchuriam ſexto morbi die oborientem & per totum diem durantem obſervavi.

Peracta deſquamatione plerumque ſoluebatur morbus, in quibusdam tamen Diarrhoea, in multis urina hypoſtatica, in paucis ſudore notabili, in unico exemplo hæmorrhagia narium nono morbi die orta, judicatus.

Mitis adeo morbus, nemini eorum, quos tractavi lethalis, non magnum requirebat medicaminum apparatum.

In primo ſtadio temperantia, digeſtiva, alvum leniter ſubducentia, interpolatis pro re nata laxantibus, multus potus diluens ex Infuſo Specierum Diapnoicarum & pectoralium, linctus e

O Syrupis

Syrupis Altheæ & Diacodii, addito Kermis minerali pauxillo, Sinapismi ſub pedibus, lumen cubiculi obſcuratum, atmosphæra temperata, calor lecti, & Diæta tenuis optatos præſtabant effectus, frangebant vim febris, leniebant tuſſim, fugabant cephalalgiam, oculorum minuebant ardorem, lætamque promovebant exanthematum eruptionem.

In uno tantum caſu tanta adfuit oppreſſio pectoris, ut Venæſectionis, plus ſimplice tamen vice haud inſtituendæ, fuerit opus. Nec miſſione ſanguinis anginam, utpote mucoſam potius quam inflammatoriam, debellandam, ſed diapnoicis, epiſpaſticis & laxantibus diſcutiendam eſſe credidi, ac opinioni reſpondebat eventus, ſatis enim brevi ſub allata methodo medendi diminuta angina, eruptione facta penitus diſparebat.

Fuere quibus exanthemata die quarto non erumpebant, & his ac illis quibus non bene ſuccedat inchoata eruptio, cum ſucceſſu Emulſionem camphoratam propinavi.

Hæmorr-

Hæmorrhagiam narium ſub eruptione, licet interdum valde largam, in nemine tamen enormem nec tantam, ut cohibenda eſſet, inveni.

Ischuriam ſupra memoratam laxans fugabat mannatum.

Eadem Diæta, regimen idem in eruptionis ac in antecedenti obſervabatur ſtadio.


Finita deſquamatione laxans iteratis vicibus porrectum priſtinam plerisque convaleſcentium reddebat ſanitatem. Etenim levis, quæ in quibusdam ſupererat, tuſſis linctui & infuſo pectorali brevi ſatis cedebat. Ophthalmiam in duobus remanentem aqua frigida oculis adplicita, haud neglectis laxantibus diſpulit. Puſtulas prurientes in uno caſu morbo finito per totum corpus pasſim prorumpentes Serum lactis & purgantia debellarunt: ac pertinacem in altero raucedinem oleoſum tandem fugabat Eclegma.

Fuere vero qui vel errores committebant diæteticos, vel aëri frigido ſeſe nimis cito, juſtoque magis exponebant, ac hi gravem ſatis temeritatis luebant poenam. Tres enim invaſit Diarrhoea valde torminoſa, largiſſima, cruenta,

 rhabar-

rhabarbarinis & dein mucilaginosis sedata. Unum adoriebatur pleuritis, venæsectione terna, vesicatorio cæterisque huic morbo congruis remediis fugata. Et alter atrocissimo Epigastrii dolore cum vomitu omnium, etiam mitissimæ indolis, ingestorum, reliquisque gastritidis Symptomatibus correptus difficulter satis vivus evasit.

Sub exitu mensis Aprilis decrescere coepit & ad finem vergente Majo, fere penitus cessavit hæc Epidemia, in qua hoc singulare adhuc vidi, ut interdum post longum, a probabiliter suscepto contagio, tempus, tandem certa apparerent infectionis signa: ita plus simplici vice ubi plures in una familia morbillis decubuerunt, quos primos invaserat morbus, jam per aliquot hebdomades convaluisse observavi, antequam reliquos, primo decumbentibus licet semper præsentes, adgrediebatur.



XIX.

XIX.

RARA PODAGRÆ META-MORPHOSIS.

Auctore Sal. Theoph. De Meza,

M. D. Reg. Soc. Membr. Ord.

Mense Novembri anni 1780 vocor ad hominem quadraginta annos præter propter natum, faciei ad Latus dextrum paresi cum Linguæ titubatione laborantem, in causas inquirenti, se aliquando Podagra affectum fuisse respondit; Jam vero magno suo bono, accepto remedio nescio quod, a medico in arte Veterano, per biennium ab ea immunem prorsus mansisse. Alvus erat segnis, appetitus somnusque bonus. Quo audito pilulas concinno gummosas in usu quotidiano, quibus alvus libera servabatur. Pro potu ordinario commendo Decoctum Lignorum dilutius, poculumque Vini Rhenani in prandio. Fricari jubeo pannis laneis asperis pedes collum ac nucham ad

 latus

latus dextrum linimento volatili bis terque de die, interdum epiſpaſticæ e fermento panis cum ſinapi anglicano contuſo; noctu plantis pedum adhibebantur, ſubinde ſentiebat leves dolores in digito craſſiori pedis, rebus autem in uno eodemque ſtatu manentibus per menſem, veſicantia infra ſuras applicantur, quibus aliquandiu ſuppurantibus, levamen magnum percipiebat æger & loquela emendabatur egregie, ſenſim ſenſimque faciei paralyſis in melius tendebat. Circa finem februarii dolor quidem punctorius acutiſſimus ſentitur in eodem digito majori, gratulabatur ſibi de podagræ adventu, de curationeque abſoluta ſperabat, fidem omnem meis verbis adhibens, cum ſæpius a me audiviſſet menſe Februario præ cæteris paroxysmos podagricos ut plurimum recrudeſcere. Pro lenienda autem doloris ſævitia, cataplasma molle ex mica panis in lacte cocta applicari jubeo; atqui brevi ſcilicet, poſt duos dies niger apparet digitus major, ſeponitur autem cataplasma & pro tempore liquor vegeto mineralis *Goulakdi* cum ſpiritu vini Camphorato applicatur.

INTERNE

Interne datur corticis pulvis ad drachmam dimidiam omni hora, manus auxiliatrices peto a dexterrimo *Winslowio* jam *Nosodochii Fridericiani* Chirurgo primario. Fovet autem partes decocto saturatissimo corticis peruviani, admixto spiritu vini camphorato. Hisce non obstantibus serpit dirum malum indies & totam plantam pedis brevi occupat Necrosis seu gangræna sicca; in usu corticis interno ultra tres hebdomadas haud persistit æger, mortem certam expectans, viribus vitæ indies collabescentibus. Diæta tamen analeptica utitur & vires erigere Bacchi poculo amat. Appetitus semper vigebat, immo ad voracitatem aliquando accedebat, excretiones omnes rite procedebant. Alvina autem excretione per oscitantiam potius quam per insensibilitatem lecti stragula consputcabat.

Externa applicatio regulariter fit quotidie. Stat ergo gangræna, nec ultra procedit usque ad medium Martii, quando levia suppurationis indicia apparere incipiunt, quæque optima insequitur profunda ad ossa usque.

Die 20 Aprilis anni ultime elapſi, nuda nec carioſa conſpiciuntur, malleolus externus osque Calcaneum ulcere pus bonum fundente copioſum, priores omnium pedis digitorum phalanges duæ ſponte ceciderunt ad diem quintum Maji. Sub initium Junii dimidia pars calcanei exfoliata, ſeparata.

Curam tunc temporis perficiente dexterrimo *Kölpin* Juniori, dum *Winslowius* ægrotabat. Omnesque denique digitorum phalanges cecidere; ulcus demum conſolidatum & æger digitis mutilus ſatis bene vivit in ſtatu fere ſtupido, nihilque fere curans quam de ventre & ſomno.

Raram quidem eſſe obſervationem nemo, credo, inficias ibit, non equidem ratione metaptoſeos materiæ arthriticæ pareſim inducentis, hoc enim annotatum jam ab *Hoffmanno*, *Riverio*, *Boerhavio*, *van Swieten* & aliis, ſed ratione gangrænæ inde ortæ, diuque ſubſiſtentis, demumque ſponte ſeparatæ ægro ſuperſtite. Coercuit equidem *Boerhavius* gangrænam per ſex menſes in pollice pedis, ſed ut ipſe affirmat, dum per ſuppurationem alii medentes id quod erat mortuum a vivo ſeparare

ſperant

ſperant triduo ſpatio ad femur usque promovetur malum, quod mors excipit. Quam apprime autem quadrare hic verba *Hippocratis* in prognoſticis puto. " Pedes autem digitique penitus nigri " minus perniciosi ſunt lividis. Sed & alia ſigna " conſiderare oportet, nam ſi æger malum leviter " ferre videatur, atque aliquod ſignum ſalubre " præterea ſe oſtentet, morbum in abſceſſum ver- " ſum iri ſpes eſt. " Sic ut homo quidem ſuperſtes evadat, partes vero corporis denigratæ decidant.



XX.

OBSERVATIONES VARII ARGUMENTI.

Auctore Rudolpho Buchhave,
M. D. Soc. Membr. Ord.

OBSERVATIO Ima DE CULTRO IN CADAVERIS ABDOMINE REPERTO.

Vidua annosa, diu valetudinaria, & jam decumbens, mihi auxilium laturo referebat: se ab ineunte juventute hysteria laborasse, atque ante præterlapsos sex menses mente alienatam fuisse, quo tempore insciis sanguine cognatis, tunc præsentibus, cultellum acuminatum, calamis scriptoriis formandis aptum, se furtim arripuisse, quo vitæ pertæsa ventrem perfoderat; hoc peracto,

de

de cultello fruſtra inquiſiviſſe amicos, ſeque jam incertam teneri, an totus in abdomen inſertus eſſet, nec ne: Ab eo tempore, quamvis a chirurgo ſanatum erat vulnus, mala plurima, hyſteriam, obſtipationem alvi, anorexiam, polydipſiam, dyſpnoeam, meteorismum præcipue epigaſtrii, ſenſim ſe aſſociaſſe, atque pededentim aucta fuiſſe. Epigaſtrium & hypochondrium dextrum, admodum elevatum in tumorem elaſticum, magnum, quam maxime ei doluit; cicatrix a vulnere relicta ſub ventriculi ſedem apparuit optime concreta. Arteriarum ictus erant celeres & debiles; facies cacochymiam prodidit. Præter medicamina interna & externa ſymptomatibus convenientia etiam clysmata ſunt injecta, quæ, quamvis reiterata, nil fæcum aut flatuum eduxere. Diu tandem ſub dolorum tortura paucis poſt diebus, viribus conſumatis, accedente ſudore frigido viſcidoque, animam efflavit.

Ab amicis copia abdomen aperiendi mihi data fuit, qua operatione ſequentia obſervata ſunt phænomena.

Dicta

Dicta intumefcentia fub coftis dextris evanuerat, fed abdomen totum tumidum, expanfum, tactuque durum erat. Incifione abdominis facta, e cavitate ejus maxima aëris putidi copia vi fonora erupit. Inteftina admodum inflata, variis in locis inflammata erant, atque in purulenta natabant materia. Cicatricem fupra denominatam inquirens vidi, non proxima modo tenuia inteftina ibi loci cum peritonæo, abdominales mufculos inveftiente, callo & cellulofa mediante, valde effe connata, fed etiam coli transverfi partem finiftram eidem firmiter adhærere: Hanc cum feparaffem connectionem, in coli adhæfionis loco foramen, quod digitum admitteret, obfervare licuit cujus margines nigri erant, fphaceloque affecti. Ad dextra hujus foraminis flatu & fæcibus duris admodum turgebat colon transverfum & dextrum; ad finiftra vero ejusdem mirum in modum contracta & coarctata erat pars transverfi & colon totum finiftrum, ita ut nulla fæcibus flatibusque transmittendis aderat infra foramen apertura; volumen hujus coli externum vix volumini inteftinorum tenuium, in ftatu naturali conftitutorum

æquabat.

æquabat. Infra hujus inteſtini foramen ſphaceloſum, modo dictum, tuber admodum durum in transverſo meſocolo palpavi, quo ubique perluſtrato, aperturam ad parietem meſocoli inferiorem, in ipſo tubere formatam, abſciſſumque referentem parvum & craſſum inteſtinum, inveni; immiſſo in hanc digito, canalem quendam calloſum ad ſiniſtrum meſenterii parietem in pelvim continuari percepi, quo ad longitudinem cultri ope aperto, digito quærenti, corpus acutum & pungens occurrit, quoque apprehenſo, cultellum ſupra nominatum, quinque pollices longum, nigroque colore tinctum, mirabundus extraxi. Manubrium hujus, ex aurichalco confectum, polituram poſtea admiſit, non itidem vero ferrum, hoc enim valde corroſum erat, multoque ferrugine obductum.

Hæc ſunt viſa & reperta. Jam ſi cogitationi phoenomenon hoc ſubjicere liceat, credendum eſt, vulnus in coli transverſi parte ſiniſterrima inventum, ab ipſa ægra recto rationis uſu deſtituta, cultrum ſurſum dirigendo, ut ipſa mihi narraverat, inflictum fuiſſe, cultellique proinde

apicem

apicem in coli transversi cavitatem insertam, atque manubrium, ultimo immissum, pondere suo, inferiorem occupasse locum, viamque colon transversum inter & tenuia intestina invenisse; cultrum vero mesenterio deinde applicatum apice sua, cavitate coli elapsa, mesocolo, perpetua diaphragmatis agitatione moto, vulnus inflixisse, quod inflammatione excitata durum & callosum sine dubio excitaverat tuber, ibi natum. Manubrio tandem ad latus mesenterii moras nectenti, & ærugine corosivo ulcera excitanti, vestimentum callosum providam dedisse naturam ad avertenda majora; intestinorum motu peristaltico certissime orienda, mala, ulteriusque versus pelvim sensim gliscenti vaginam, eousque continuatam, formasse.

Hinc vitam ægrotæ, tanto malo afflictæ, conservare nemini datum fuit mortalium; intestino enim colo in vulneris sede contracto nulla patuit via aëri & fæcibus excernendis, unde factum est, ut & colon transversum & dextrum, his valde distentum, externum, quem ante mortem in ægræ epigastrio observavi, tumorem exitaverit, dolorique immani ansam dederit; præterea

inter

inter cellularem texturam exitum sibi parans aër elasticus, qua dicta intestina ob vulnus peritonæo accreta erant, cavitatem abdominalem intravit, abdomen ipsum tumefecit, & sese cadaver aperienti prodidit. Pus in abdomine contentum tam ab hæmorrhagia interna, cultri læsione oborta, quem ab æruginis corrosióne, inflammatione & suppuratione, natum esse concludere fas est.

OBSERV. IIDA
DE
RHEUMATISMO SYMPATHICO.

Fæmina sana, quæ gulæ sæpius indulsit, post somnum quietum evigilans immanem in musculis, levatore scapulæ & supraspinato persensit dolorem, qui ita cruciavit miseram, ut calor corporis & transpiratio inde augebatur. Locus affectus linteis calidis fricabatur & fovebatur, unde dolor paulisper cessare videbatur; murmuribus ventris interea obortis, dum dolor iterum increvit, & flatibus quibusdam deinde ano emissis, paulum rursus remisit malum; mox vero intensus dolor

nova

nova auxilia postulabat. Ventri tunc applicata sunt lintea calida spiritu lavendulæ conspersa, & tergum fricatum est; sed rheumatismus sæviebat. Ennemate tandem injecto, & ventre scybalis flatibusque liberato, celeriter eodemque momento evanuit tormentum.

Cum ad morbos ex nervorum consensu natos referri mereatur hic casus, & rheumatismo quam maxime æmuletur, novam hanc morbi speciem, identidem occurrentem, reliquis generis rheumatici speciebus interserendam, indicare, nomenque *rheumatismi sympathici* ei indere, haud dubitavi.

OBSERV. IIItia

DE

EPILEPSIA PERIODICA.

Adolescens 14 annorum, litteris operam navans, viso sodali epilepsia laborante, ipse terrore perculsus paroxysmo epileptico corripiebatur. Pari modo hujus mali participes etiam facti sunt duo alii condiscipuli, quorum morbi progressus & fata nescio. Noster vero æger octiduum omni

diei

diei hora paroxysmum ſuſtinuit, quo tempore curam ejus geſſit Pharmacopola loci. Domum reverſo eo Chirurgus conſulebatur, qui ignota cauſa vermes ſubeſſe credidit. Paroxysmus tunc temporis circa horam matutinam octavam incepit, & qualibet diei hora renovatus circa octavam veſpertinam deſiit, adeoque 13es quotidie rediit. Nox tota fuit quieta, & membris laſſatis vigorem ad novos paroxysmos excipiendos præbuit. Anthelmintica tunc copioſe ingeſta nullum necavere vermem, & purgantia ſæpe reiterata nullum eduxere, imo ne ventrem movere quidem potuerunt; venæſectiones bis celebratæ, & Laudanum liquidum omni 6 hora ſumptum poſt octiduum eo rem perduxerunt, ut inſultus omni tantum ſecunda hora quotidie ſupervenerint, & brevius duraverint. Præterlapſis inde tribus diebus hora 11 matutina incepit paroxysmus & 11 veſpertina evanuit. Inſequentibus ſex diebus contra morbum militabat emeticis, ventriculum probe everrentibus, venæſectione, anthelminticis, Laudano liqv., extracti Hyoſcyami tribus quotidie granis, laxantibus pharmacis duobus & enematibus, ultimis quidem

duobus fine minima alvi evacuatione. Poſt id tempus ingreſſus morbi fuit iterum omni hora diei ab octava ad octavam. Jam ſub omnibus paroxyſmis canis latratum æmulatur æger. Diebus ſubſequentibus 12 armis modo dictis continuo dimicabatur, quibus addita ſunt mixtura Corticis peruvianæ, ſpiritus vitrioli acidus, & extracti Hyoſchyami grana 6 indies deglutita. Attamen inſultus nunc 5es, nunc 8es, nunc 10es ingruit, & omni deinde bihorio iterum excruciat. Tribus ſubſequentibus diebus mixturam continuavit Corticis omni bihorio, acidum vitrioli in potu, & extracti Hyoſchyami grana 9 quotidie. Poſt id tempus ſub paroxyſmis mugit ut bos, & cantat ut gallus gallinaceus. Uſus Hyoſchyami abolitus eſt. Conſultus ægritudinem ita obſervavi: Paulo antequam ingruit paroxyſmus dolor formicans in tibia ſiniſtra percipitur, qui per femur in abdomen aſcendens in hypochondrio ſiniſtro terminatur; mox abolitis ſenſibus cadit æger; epigaſtrium & hypochondria dura fiunt; abdomen valde agitatur; caput a muſculis retractoribus tergum verſus flectitur, digitis in manum flexis; corpus erigit

vicibus

vicibus iteratis, iterumque detrudit; ad latera vi movet brachia, quasi cum quodam luctandum esset; latrat ut canis; oculi continuo clausi. Immobilis tunc jacet aliquot minuta, torsis interea nunc capite, nunc oculis apertis, jam in unum, jam in alterum latus; mugitum bovis, cantum gallinaccum, vocemque diversorum animalium immitatur, digitis fortiter extensis, femore & tibia dextra tremore agitatis. Hoc finito insultu alius iterum supervenit, priori similis; sicque ad 7 vices, præcipue initio morbi, alius minor paroxysmus alium excipit, dicto tantum interposito intervallo aliquot minutorum. Finito paroxysmo magno, qui ad horæ circiter spatium extenditur, quietus, ut fieri assolet, jacet æger, & ad sensus redit; post horam deinde recurrit alter. Talem toto illo, quo epilepsia afflictus fuit, tempore, tenorem & typum tenuit morbus.

Ut vero exactum, quo se invicem quotidie exceperunt paroxysmi hujus morbi periodici, ordinem videamus, tempora ingressus, quæ ultimis ante adventum meum servarunt diebus, hic apponere non pigebit.

REDITUS

Ante meridiem,					post meridiem.			
Die Ima hora	8,	10,	$11\frac{1}{2}$,	- hora	1,	3,	5,	7.
— 2da —	8,	$9\frac{1}{2}$,	11,	- —	$1\frac{1}{2}$,	$3\frac{1}{2}$,	$5\frac{1}{2}$,	8.
— 3tia —	8,	$9\frac{1}{2}$,	$11\frac{1}{2}$,	- —	$1\frac{1}{2}$,	$3\frac{1}{2}$,	6,	8.
— 4ta —	$7\frac{3}{4}$,	$9\frac{1}{2}$,	$11\frac{1}{2}$,	- —	$1\frac{1}{2}$,	$3\frac{3}{4}$,	6,	8.
— 5ta —	8,	$9\frac{1}{2}$,	$11\frac{1}{2}$,	- —	$1\frac{1}{2}$,	$4\frac{1}{2}$,	$6\frac{1}{2}$,	9.
— 6ta —	8,	$9\frac{1}{2}$,	$11\frac{1}{2}$,	- —	$1\frac{1}{2}$,	4,	6,	8.
— 7ma —	$7\frac{1}{2}$	$9\frac{3}{4}$,	12,	- —	2,	4,	$6\frac{1}{2}$,	$8\frac{1}{2}$.

QVALIBET noctium hos paroxysmos insequentium pulveris corticis peruviani drachma 6 consumpsit æger, & subsequentibus tribus diebus insultus habuit pauciores, nempe

Die Ima hora	8,	—	—	- hora	1,	4,	—	—
— 2da —	$8\frac{1}{2}$	—	12	- —	—	—	—	8.
— 3tia —	8	—	—	- —	—	—	—	8.

— 4ta nullus paroxysmus; usu tamen Corticis 14 dierum tempore perrexit, tum ad avertendam recidivam, tum ad cachexiam corrigendam, & vires revocandas. Studiis inceptis postea incumbens atroci hujus semper expers fuit morbi, & inter cives academicos locum jamdudum obtinuit.

DE

De curatione morbi instituta nihil loquor. Morbum autem hunc a terrore summo natales traxisse, & diende statim typum regularem periodicum induxisse quisque videt. — Quamvis Experientissimus *F. C. Medicus*, qui summa opera morborum periodicorum facta collegit, ediditque, & inter ea etiam de hujus morbi specie mentionem facit (a); attamen hanc inter 13 species generis epileptici *Ill. Sauvagesii* non invenio, ubi tamen, me judice, locum sibi vindicare debet non sæpe obvia, ideoque eam hic depictam dedi.

Ante biennium virginem, annum 20mum agentem, epilepsia periodica, quaque 3tia vel 4ta hora redeunte, laborasse vidi, nocte semper tranquilla. Nulla causa morbi cognita. Præmissis vero laxantibus & digestivis Corticem porrexi peruvianum, eamque, alias sanam, a malo feliciter liberavi.

(a) Geschichte Periodischer Kranckheiten, pag. 10.

OBSERV. IVta
DE
MELÆNA SCORBUTICA.

Uxor viri militaris, annorum aliquot supra 30, æstate præcedente de asthenia totius corporis, præcipue genuum lassitudine, & de inordinato & parco fluxu menstruo conquesta tunc pallida, cacochymica, 13tia Septembris anorexia & cardialgia laboranti versus vesperam frigus supervenit, subsequente calore siti &c. 15ta pulveres quosdam, forsitan temperantes sumpsit, & 16ta laxans a Chirurgo datum, quod pulvis Colocynthidis & salis Sedlitzensis ingressus est; hoc vero statim evomuit una cum materia ad visum purulenta, nigra, & striis sanguineis mixta; alvus aliquoties evacuata piceas emisit fæces, putride & male olentes; vomitu deinde his similia ejecit, & ex faucibus putridus evolabat halitus. 18va pulvere rad. Rhei capto similiter ano & cato putrida rejecit. 19na vocatus præter modo dicta etiam ulceribus gingivarum, genarum internarum & sublingualibus eam laborare persensi; lumbaginem præterea, sitim & ingentem calorem accusabat; pulsum habuit

buit plenum,. linguam albicantem, genitalia ob fluoris albi acrimoniam ſauciata, tumida, anum ab excrementis acribus excoriatum, dolentem.

Præſcripſi decoctum ex Manna Calabr. & Cremore tart. vicibus repetitis capiendum; Spiritum ſalis comm. acidum in potulentis; Gargarisma acidulatum. 20ma multas habuit dejectiones alvi piceas, & ſemel evomuit materiam nigram. Lumbago. 21ma noctu ſemel vomitu rejecit nigra, & alvus ſexies mota. Verſus meridiem menſtruata eſt. Tumida admodum eſt facies & lingua. Ulcera oris muco tenaci albo obducta ſunt, ac purgata muco novo ſtatim impura redduntur. Pulſus plenus moderatus. Magneſiam alb. cum cremore tart. mixtam omni trihorio adhibet, ſpiritum ſalis in potu. 22da menſtrua fluere ceſſarunt. Nullus vomitus; ſed quinquies mota eſt alvus; excrementa nigra; facies æque tumida; clysma per horam retentum rediit fuſco colore tinctum. Præter ſpiritum ſalis, decoctum Corticis peruv. cum rad. Serpent. Virgin. omni bihorio adhibet. 23tia nox inſomnis; facies admodum tumida, dyſphagia; alvus octies liberata eſt fæ-

cibus piceis; pulſus plenus, celerior ac antea. Verſus veſperam abdomine dolet. Præter nominata præſcripſi mixturam camphoratam, unde alternis horis cum decocto corticis capiat. 24ta nox inquieta cum paraphroſyne levi; abdomen adhuc dolore afficitur; motum bis picea rejecit; lumbago ante alvi evacuationem; ſitis clamans, dentes vaxillant. 25ta quietior & quaſi ſomnolenta jacet. Alvi ſolutio nyčthemeri tempore ſexies facta eſt; excrementa jam fuſca vel brunnea cum nigro ſtriata; os & lingua valde exulcerata; lingua poſterius adhuc albida; halitus acris, foetidus, nares ferit; pulſus moderatus, plenus. Eadem medicina. 26ta Agrypnia. Dejectio alvi fuſco colore aliquoties fuit, & ſemel nigro. Status morbi haud mutatus; pulſus tamen minor. 27ma jam quietiori ſomnus aliqualis adfuit. Continuabit eadem medicamina.

Dum interea me officium aliorſum vocavit, urgente neceſſitate, pharmacopolam conſuluit vir, & ægra 5ta Octobris e vita deceſſit.

Hanc morbi, ut credo, rari hiſtoriam ideo litteris mandavi, quia non in omnibus convenit

cum

cum Melæna ſcorbutica *Sauvageſii*, quamvis una eademque eſſe debet ſpecies & *Sauvageſii* & mea. Collatis vero deſcriptionibus pluribus ejusdem ſpeciei, & perfectiorem fieri characterem, & ſcientiam medicam creſcere neceſſe eſt.

OBSERV. V.

DE SCORBUTO LIVIDO.

FÆMINA robuſta, pinguis, pallida, hac æſtate valetudinaria, ante 14 dies diarrhæa, vomitu, & myctcrrhagia laboravit, deinde ex ore & gingivis ſanguis ſæpiſſime effluxit, & cum muco tenaci e faucibus, mediante tuſſi, educto exſpuit ægra ſanguinem, ramulos aſperæ arteriæ intrantem. Vomitu & diarrhæa ceſſante, ſub malo regimine ſymptomata hæc ultima continuo inquietabant. Inter alia pharmaca Linctum ex mellis roſarum drach. VI & Unguenti Ægypt. dr. II. M. ut & Eſſentiam quandam pectoralem porrexerat Pharmacopola loci. — In conſilium vocatus ſum 11mo Auguſti: Tunc ex ſtomacace, hæmopthyſi, myc-

terrhagia, continuo fluentibus; ex maculis violaceis, lividis totius corporis, ægram ſcorbuto laborare facilis fuit dijudicatio; linguæ ſubjacentes partes tumidæ viſæ ſunt & cruentæ; in cantho oculi ſiniſtri externo, ubi hae æſtate ſæpius phlyctænæ parvulæ eruperant, macula livida; in lingua nigricantes phlyctænæ aderant; labii inferioris paries internus inflatus, atro-ruber, fuit, punctis maculisque nigreſcentibus interſperſis. Febris prodromi, frigus & horror, heri & hodie ſeſe dictis ſymptomatibus aſſociarunt. Alvus quotidie ſponte ſua ſolvitur. Dato Infuſo laxativo, 12ma præſcripſi antiſepticum & roborantem corticem Peruvianum, & ſpiritum ſalis commun. acidum, ut & gargarisma, linctumque acidulum. Tranſpiratio bona, alvus hodie aliquoties ſponte aperta eſt. Oculi ſiniſtri macula livida dimidiam & externam palpebrarum partem occupavit; dimidia & externa pars tunicæ albugineæ inflammata eſt, & dextra pars labii inferioris externa valde tumida; interna nigra gangrænoſa. Frigus & horror ingens tempore antemeridiano obortus eſt, ſubſequente calore & pulſu pleniori. 13tia Palpebræ

oculi

oculi sinistri nigredine obductæ sunt, superior immobilis pendet, tegitque bulbum; tota albuginea rubra ophtalmia chemosi laborat; vascula lymphatica, capillaria, corneæ optime conspiciuntur; labium inferius totum tumidum, dependens, gangræna interne repente in viciniam. Ablata labii crusta nigra gangrænosa sanguis propullulat, & locus sauciatus alia crusta brevi obducitur. Grumus sanguinis circa gingivas tumidas & sub lingua colligitur. Alvus sponte evacuata. Pulverem corticis cum renuat, magnam decocti ejusdem cum radice serpentariæ Virgin. juncta copiam ingerere jussi; præterea electuarium præscripsi ex conserva Cochlear. Rob. Sambuc. & rad. Rhei mixtis. 14ta & 15ta jam genas valde tumidas interne occupat gangræna, serpitque malum in fauces. 16ta totum os internum, lingua, velum palatinum, fauces, nigredine sunt tecta, visuque horrenda; crusta nigra ablata locus denudatus nullum cruorem fundit; muci tenacis maxima copia fauces obturans difficulter exscreatur. Omnibus tandem excretionibus retentis nocte inter 18vam & 19nam exspiravit misera.

Hæc

Hæc scorbuti species quædam continet symptomata ab *Ill. Sauvagesio* non allata, quapropter eandem hic talibus delineavi symptomatibus, qualibus se mihi obviam dedit, ut specificus inde character eo facilius deducatur.

OBSERV. VI.

DE RUBEOLA ANOMALA.

Virgo 20mum agens annum symptomata febrilia 20ma Septembris sustinuit, quæ 21ma & 22da mitia ægram lectui non continuo affigebant. 23tia meum expetiit consilium de anorexia, polydipsia, nausea, vomitu & calori ingenti conquesta. Lingua albida; alvus morigera; pulsus naturali haud multum frequentior. Emetico dato pulverem præscripsi laxantem, qui optime eam purgabat. 24ta Nox insomnis, calor major & pulsus frequentior. Temperante utitur pulvere. Post meridiem sensus frigoris cum calore alternantis. 25ta nocte multas alvinas habuit evacuationes, & anæthesiam accusat. Ob nauseam vespere emeticum

cum porrigebatur. 26ta alvus ſæpius ſoluta. Agrypnia, tuſſis vehemens, & oculorum dolor; urina citrina cum ſedimento pauco mucoſo; tranſpiratio nulla. Adhibet nunc electuarium ex radice ſerpent. Virgin. Camphora & Rob. ſambuc. unde verſus veſperam bene tranſpirat. 27ma hac nocte rubeola in conſpectum prodiit. Cephalalgia continuat cum tuſſi & ſiti; pulſus tamen haud ita frequens. Uſum electuarii pergit. 28va plures eruptæ ſunt rubeolæ; ſymptomata leviora; tranſpiratio bona. 29na hac nocte 7 horas dormivit; animus hilaris; arteriarum ictus propemodum naturalis; bene tranſpirat. 31ma ſana cubitu ſurgit.

Hæc rubeolæ ſpecies igitur octava erupta eſt die, quod, quantum mihi conſtat, a nemine antea viſum eſt.

Iuvenis undeviginti annos natus morbo rubeolari cum omnibus ſuis ſymptomatibus rite laboravit, ſuperata vero ægritudine & cura hujus peracta, poſt octiduum de novo vehementius ægrotans novam rubeolarum cohortem adeptus eſt, qua regimine debito profligata, iterum ſanus lectum reliquit.

XXI.

XXI.

SELECTA DIARII NOSOCOMII FRIDERICIANI PRO ANNO 1781.

Auctore FRIDER. LUDOV. BANG,

M. D. & Prof. Design. Soc. Membr. Ord. Mensis.

JANUARIUS.

FEBRES, ut ita dicam, pectorales maximum morborum numerum constituerunt, diversum inflammationis gradum secum ducentes, quædam nimirum simplicem & modicam pectoris oppressionem, aliæ majorem dyspnoeam cum vel sine dolore punctorio, plurimæ diarrhoea modica nec critica nec noxia stipatæ erant, in omnibus fere sputum tamen variæ indolis vel sanguine mixtum vel mere mucosum quandoque viride vel puriforme crisin constituebat; initio morbi venæsectio gradui morbi accommodata & emulsio camphorata profuerunt; sexto vel septimo die ad promovendam expectorationem alternis horis cum emulsione

dedi

dedi kermis mineralis granum cum ſcrupulo gummi arabici, dum diarrhoea adfuit, hac abſente prætuli decoctum ſenegæ cum pauxillo nitri & oxymellis ſcillitici, quod aptiſſimum inveni & quandoque diu poſt devictam inflammationem continuare debui tam ad ſputi critici evacuationem perficiendam quam ad dolores pectoris ſæpe poſt febrem ſuperſtites diſſipandos.

Febres bilioſæ non raræ cito per emeſin & catharſin ſanabiles, paucæ earundem putridæ gradum attigerunt. Huc pertinet complicatio judicii ſat difficilis in juvene 20 annorum, qui quinque diebus laboraverat cephalalgia, vertigine, ſapore malo, debilitate, lingua ſordida, nec non dolore fixo punctorio hypochondrii dextri, atque abdominis totius tanta ſenſibilitate, ut minimus attactus moleſtus fuerit, alvus nilominus naturalis erat, ob gradum doloris majorem ab inflammatione quam a putreſcentia noxam timui, ideoque antiphlogiſticam elegi methodum fauſteque octies per quatuordecim dies inſtituta venæſectione ægrotum reſtitui. In univerſum me docuit experientia: Compræſentibus ſignis inflammationis & putreſcentiæ

ſcentiæ abdominalis ſecurriorem eſſe curam anti-phlogiſticam quam antiputridam.

Ab ulceribus crurum inveteratis conſolidatis oriebatur in juvene 27 annorum febris acuta cum dolore vago pectoris & capitis, tuſſi raucedine ſiti, frequenti & larga hæmorrhagia narium; huic ſucceſſit febris quotidiana nullo cortice ſanabilis cum adjuncta efflorescentia ſcabioſa vaga mox apparente mox diſparente; Hiſce demum finem impoſuit febris morbilloſa letalis, repetita veſicatoria crurum haud valebant ulcera antehabita revocare aut vices eorundem in educenda materia noxia reſorpta ſupplere.

Vix pejoris notæ eſt ulla potentia morbifica quam quæ ex allato fonte redundat; ſanguinis enim maſſæ permixta omnes corporis partes infeſtare, omnis generis morbos procreare, difficillime vero e conſortio humorum extricari atque ad primitivam ſedem reduci valet.

Intermittenti febri anni ſpatio ſæpe reverſæ varioque ad ultimum quartanæ typo indutæ juncta erat ſingularis intumeſcentia cardiæ & hypochondrii dextri tempore apyrexiæ tantum præ-

ſens,

ſens, & invadente paroxysmo diſparens, nec non tumor conſtans crurum; multum radicis gei incaſſum adhibitum fuit. Exhibito paucis diebus ſolvente remedio e tinctura rhei aquoſa & ſolutione tartari tartariſati, porrexi pulverem plurimis quartanis utilem compoſitum e corticis peruviani uncia, ſalis ammoniaci drachmis duabus, rhei drachma omni hora extra paroxysmos. Huic autem ſine optato effectu duodecim diebus propinato, ſubſtitui merum corticem, qui mox febrem ſuſtulit, tumoremque ſupra allatum ſenſim fugavit.

ARTHRITIS catamenialis ſ. dolor artuum in puella ſub menſtruatione inſtante alternans cum cardialgia, vertigine, ſuſurru aurium, ad venæſectionem & alia remedia immutabilis per ſpontaneam & largam hæmorrhagiam narium tollebatur.

DIARRHOEAM chronicam plurium menſium tabem minantem multis fruſtra tentatis ſanabat ſequens decoctum R. corticis caſcarillæ, ſimarubæ Ana drachmas duas, coque cum aquæ ſimplicis unciis duodecim ad remanentiam unciarum octo, colaturæ adde mucilaginis gummi arabici uncias

Q duas,

duas, olei olivarum albi unciam, cujus decocti uncia dimidia bihorio per tres hebdomades continuas porrigebatur.

Expansionem dolorosam abdominis sex hebdomadum post puerperium superstitem tollebat mixtura Camphorata acida intus sumta & oleum volatile abdomini inunctum.

Convulsivis motibus extremitatum tam inferiorum quam superiorum triduo laborabat juvenis, quas e vulnere genu dextri ante undecim dies inflicto oriri suspicabar; aderant simul amarities oris, lingua sordida, frigoris sensus spinæ dorsi; præmisso emetico dedi emulsionem camphoratam cum laudani liquidi Sydenhami guttis quinque bihorio nec non cataplasma emolliens genu vulnerato applicandum; sic convulsiones intra quatuor dies prorsus cessabant.

Mania furiosa occasione infortunati amoris invasit virginem 38 annorum succiplenam fortem, cholericam, quæque ab infantia ob indulgentiam nimiam parentum pertinacem & superbum sibi contraxerat animum; corporis nimium robur debilitando per omnes generis evacuationes repetitas,

largas

largas & diætam tenuem, mentemque deprimendo per minas, vincula, veſicatoria, balneum frigidum trimeſtri ſpatio perſonam noſtram adeo pacavi, ut non modo reſipuerit, ſed mores longe mitiores quam ante hunc morbum nacta fuerit.

Duæ aliæ maniacæ militum uxores fortuite ſimul in uno cubiculo decubuerunt, altera nugis & cantui continuo haud ingrato, altera obſtinato ſilentio dedita. Evacuationes imprimis ſanguiſugium temporale morbi vehementiam in utraque ægrota fregerunt, mutua vero dein converſatio, qua altera alteri fatuitatem opprobravit, non parum ad mentem earundem reſtituendam conferre videbatur.

Sectiones.

Fluxus alvi nullo modo ſedandus dimidio anno conſumſit & necavit virum 56 annos natum, in cujus aperto abdomine invenimus multum extravaſatum ſerum, inteſtina omnia imprimis tenuia enormiter coarctata, pancreas magnum induratum, hepar multis tuberculis ſteatomatoſis variæ magnitudinis repletum, ventriculum in media parte calloſum conſtrictum & quaſi bifidum.

ASTMATE periodico, quod quiescente corpore siluit, somnum situmque horizontalem in quavis plaga corporis permisit, sub situ autem erecto, motu, & præsertim post cibos ingestos recurrere soluit cum sensu contractionis omnium artuum, quodque vario tempore interdum aliquot horis duravit, novem mensibus miles 38 annorum ad aspectum sanissimus afflictus fuit, indeque subito suffocatus. Dissectum cadaveris abdomen nil præternaturale habuit præter hepar, quod enormis erat magnitudinis, induratum & sursum in cavitate pectoris compulsum, ibidemque conditum. Pulmo dexter erat admodum exiguus versus claviculam compressus & cum pleura coalitus; cor sanguine plenum & valde dilatatum erat. Probabile est, diaphragma immodico hepatis pondere adeo depressum fuisse, ut quandoque perdiderit vim sese contrahendi motumque ad respirationem necessarium efficiendi.

FEBRUARIUS.

MORBILLI multas in civitate totasque familias pervagantes non parvum ægrotorum numerum nosocomio tradiderunt.

JUNIORA

JUNIORA ſubjecta potiſſimum & nemo ultra quadraginta annos natus hoc morbo ægrotarunt. Invaſionis ſymptomata conſtantia erant pectoris oppreſſorius dolor, tuſſis, cephalalgia, affectio doloroſa oculorum diverſi gradus, quandoque adeo levis, ut non niſi ſub influxu clarioris luminis innotuerit, ſæpius gravior cum rubedine & fluxu ſeri acris, frequentia non inſeparabilia erant ſternutatio crebra, coryza, raucedo, epiſtaxis, vomitus, diarrhoea, dolor faucium, pulſus haud adeo celer ſemperque lentior quam in febre ſcarlatina.

ERUPTIONIS tempus differebat, ſæpius quarto morbi die, alias etiam primo, ſecundo, tertio, quinto incidit, imo ultra octo dies febrem præceſſiſſe efflorescentiam obſervavi; facta eruptione ſymptomata communiter imprimis pectoris oppreſſio ceſſabant aut miteſcebant; Exanthema ſenſim ſine rita deſquamatione diſparuit, in paucis epidermis farinæ inſtar abſceſſit.

BENIGNA admodum hæc epidemia fuit, tam quoad durationem morbi intra ſeptem dies fere ſemper terminati, quam quoad indolem ejusdem, plurimi enim ægrotorum nequidem lecto indige-

bant, raro notabilis inflammatio pectoris aut oculorum morbo superfuit, unicus e retrogressis morbillis & peripneumonia letali necatus fuit.

Adminiculum plurimis sufficiens constitit in regimine antifebrili sc. calore modico atmosphæræ & lecti, victu vegetabili, potu largo, abstinentia a calefacientibus. Venæsectione raro opus habui nimirum contra oppressionem pectoris notabiliorem, si enim hæc modica fuerit, non timenda erat sed communissime facta eruptione decrevit & sensim evanuit; mixtura temperans e nitro, aqua sambuci, & syrupo althææ mihi imprimis in usu fuit; præsente diarrhoea, quæ semper innocua imo salutaris fuit, solo decocto avenæ opus erat. Devicto morbo neque abstinentia ab aere libero neque laxantia ad reliquias præcavendas uti in scarlatina requirebantur.

Febres putridæ non paucæ, quidam inde moriebatur, cui fauces absque apparenti inflammatione adeo constrictæ fuerunt, ut nec medicamenta nec potus deglutiri potuerint; Symptoma hoc raro initio putridarum obveniens & per se incurabile est, & morbum, cui pertinet, funestum indicat.

Cepha-

CEPHALALGIA periodica omni pomeridie tamen non ſemper eadem hora recurrens cum anxietate & palpitatione cordis moleſta, atque ad horas nonnullas protracta menſis ſpatio afflixit virum, qui in omnibus ceteris & ante meridiem ſe bene habuit; cortex peruvianus igitur larga doſi exhibitus fuit; peridoicus vero dolor inde in continuum mutabatur; nunc omnis generis derivantia, ſed absque effectu tentata ſunt, demum propinavi mercurium dulcem, qui per menſem usque ad grana quinque bis indies continuatus morbum absque ſalivatione ſanavit.

MARTIUS.

MORBILLIS adhuc multi ægrotabant; exanthema hoc retrogreſſum uni inflammationem abdominis, alteri peripneumoniam lentam quatuor ſeptimanis protractam induxerat, uterque feliciter venæſectione & emulſione camphorata ſanabatur. Nonnulli febre morbilloſa cum omnibus ejusdem ſymptomatibus excepto ipſo exanthemate decubuerunt.

Ischuria veſicalis oriebatur poſt partum difficilem geminorum quadraginta octo horis protractum, ſub quo nulla urina miſſa erat, quatuordecim diebus ſuppreſſio hæc duraverat, ita ut nulla urina niſi per catheterem, ſed tunc larga effluxerit; notandum ſimul eſt, quod veſicæ urina quamvis pleniſſimæ ſemper abſfuerit ſtimulus ad mingendum. Veſicatorium regioni hypogaſtricæ applicitum ſpe noſtra citius urinæ fluxum in naturalem ordinem redegit. Per ſe intelligitur, enormem veſicæ diſtentionem per urinam ſub partu retentam fibris ejusdem muſcularibus & nerveis non modo robur ad ſeſe contrahendum ſed etiam ſenſibilitatem ad urinæ acredinem percipiendam privaſſe.

Sectio.

Dolore notabili regionis temporalis & oculi ad aſpectum tamen ſaniſſimi lateris dextri cum paralyſi extremitatum lateris ſiniſtri vir 37 annorum octiduo afflictus erat; cujusumque generis evacuantia & derivantia, phlebotomia, arteriotomia temporalis, ſanguiſugium, veſicatoria, emetica, laxantia nequidem mitigare valebant dolorem, qui demum

mum verſus vitæ finem mutabatur in ſenſum moleſtum gravativum cum delirio, ſomnolentia continua, rigiditate ſpinæ dorſi, mutitate, quæ poſt menſem ab initio morbi morte terminabantur. Cranio recluſo comparuerunt cruor extravaſatus inter calvariam & duram matrem, vaſa piæ matris ſanguine valde diſtenta, pars poſterior hemiſphærii cerebri dextri tam quoad ſubſtantiam corticalem quam medullarem mollis putrida, ſanguinem multum extravaſatum coagulatum continens, ventriculus lateralis ſiniſter multum habens ſerum, quod etiam larga copia aderat in baſi cranii. Notabilis in ægro noſtro fuit ſympathicus oculi dolor inductus a læſione cerebri partis, quacum oculus nullum ſingularem nexum habere videtur.

APRILIS.

MORBILLI adhuc benigni paucos invadebant. Febres intermittentes nonnullæ præſertim tertianæ, quidam geo fruſtra uſus cortice ſanabatur; alter ſimul cum febre laboravit tumore lato duro hypochondrii ſiniſtri poſt intermittentem ante aliquot annos paſſum ſuperſtite; febris ipſa tinctura rhei

aquosa cum solutione tartari tartarisati brevi curata fuit, tumor vero lateris inunctione unguenti neapolitani per duos menses continuata pro maxima parte evanuit.

Pleuritides permultæ simplices tamen graves diversamque habentes terminationem, plurimæ solito modo per sputum mucoso: sanguineum solvebantur, aliæ suppurationem levem & expectorationem puriformem post se traxerunt, nonnullæ absque sputo in dolores artuum transierunt, aliis sublato per venæsectionem dolore successit febris intermittens, paucæ mox initio instituta phlebotomia sufficiente absque apparenti crisi evanuerunt; inter letales observavi virum, qui per vim tussis enormis expectoravit frustum, quod juxta meam & aliorum comprasentium medicorum judicium ex ipsa pulmonum substantia dilaceratum erat.

Vomitum ingestorum decem hebdomadum eum emaciato corpore, obstipata alvo, eructatione & sapore acidis sanavit mixtura composita e mannæ calabrinæ unciis tribus, salis anglicani uncia, olei olivarum unciis duabus, aquæ fervidæ unciis octo

octo ad patellam ter quaterve indies sumta & per aliquod tempus continuata. Datur adeoque vomitus hectici species a spasmo vel rigiditate intestinorum oriens relaxantium usu sanabilis.

SCABIE in juvene per unguenta retropulsa oriebatur fluxus alvi indolens initio sanguineus dein serosus, nec non tumor hydropicus totius corporis cum insigni dyspnoea, tussi, sputo mucoso, mixtura camphorata cum liquore anodino & decoctum album pro potu paucis diebus allata symptomata sub diuresi adaucta & redeunte scabie dispulerunt.

SECTIONES.

APOPLEXIA subito necati cranio aperto invenimus vasa cerebri sanguine plena, cerebrum valde compactum, serum extravasatum in ventriculis lateralibus, cerebellum singularis fabricæ sc. debito laxius atque compositum e lamellis, quæ per intermedios sulcos profundos a se invicem distincte separatæ erant.

SIMILI insultu sexagenarius ad terram concidit mortuus; ablata cadaveris calvaria deprehendimus insignem copiam sanguinis liquidi ad uncias

circiter

circiter quinque inter os occipitis & duram matrem, ſubſtantiam cerebri admodum mollem, ambo hemiſphæria cerebri ſupra corpus calloſum coalita, plexum choroideum utrumque ſanguine plenum atque nonnullas continentem hydatides, ſerum in baſi cranii extravaſatum.

Dolore abdominis præſertim regionis epigaſtricæ, obſtipatione alvi non niſi clyſmate ſolvendæ, ſapore putrido, vomitu ingeſtorum femina 47 annorum ſeptem menſibus afflicta, conſumta & exſtincta fuit. Perluſtrato demortuæ abdomine in conſpectum venerunt varii tumores cyſtici in omento, ventriculus ad diametrum inteſtini tenuis contractus, inteſtina craſſa diſlocata ſc. colon transverſum & deſcendens dextrorſum compulſa & depreſſius juſto ſita, coecum & colon aſcendens valde diſtenta totum colon deſcendens ſcybalis duris oppletum S. romanum & inteſtinum rectum valde anguſtata, glandulæ meſenterii induratæ. Hepar & lien ſana.

Majus.

MAJUS.

FEBRES intermittentes non paucæ v. tertianæ v. quotidianæ, raro quartanæ, interdum solis salinis remediis sanabiles, aliæ simul corticem desiderantes; semel radix gei urbani tentata fuit sc. apud puellam 23 annorum febre tertianæ simplici quatuordecim diebus afflictam; Digestivis per aliquot dies adhibitis itaque alvo, sapore, linguæ ad normam naturalem redactis, dedi pulverem radicis gei ad cochleare minus bihorio extra paroxysmos, accessus febris proxime insequens solito gravior erat & post alterum paroxysmum cephalalgia reddebatur continua cum sapore malo & vomitu, hinc dedi emeticum & postea laxans, quo facto rediit febris, nunc repetii pulverem gei, quem vero ob vomitum inde citatum & oborta simul flavedine oculorum mox seposui, ultimo symptomate per salina cum rheo dissipato pulvis corticis peruviani exhibitus fuit, jam vero periodica febris transibat in continuam cum debilitate insigni, susurru aurium hæmorrhagia narium larga frequenti nec corticis decocto nec spiritu vitrioli quamvis copiosissime ingestis compescenda; gravis

pectoris

pectoris oppressio simul accessit versus vitæ finem, qui decimo die ab initio continuæ febris accidit.

Pectoris inflammationes admodum frequentes erant; plurimæ sputum mucoso sanguineum secum ducentes atque tempestiva medela tractatæ septimo die per sudorem & somnum solvebantur; non paucæ præsertim initio neglectæ ultra dictum tempus criticum protrahebantur & per sputum puriforme ad plures numero tamen diversos dies fluens judicabantur. Hac apparente crisi me docuit experientia, venæsectionem caute adhibere, attamen non prorsus omittere, consuadentibus enim pulsus duritie, vehementique dolore aut oppressione pectoris, una alterave venæsectio juvat ad inflammationem suppurationi compræsentem debellandam, prævalens vero regula est evacuatio collecti puris, quæ si una venæsectione inhiberi videtur, pluries non mittendus est sanguis; genuina enim remedia dum peripneumoniaci puriformia exspuunt, sunt sic dicta expectorantia Decoctum senegæ, kermes minerale, jusculum secalinum; hoc ultimum semper sub protracto aliquatenus morbo utile inveni, etiamsi alterutrum prio-

rum

rum ob ſputum denſum difficile adhibuerim, quandoque ſolum juſculum ſecalinum, dum ſc. ſputum facile fluit, ſufficit; quandoque ſimul cum hoc remedio emulſio camphorata juvat, ſi nimirum pulſus juſto celerior pectorisve dolor inflammationem pectoris perſiſtere indicat. De corticis uſu gravia monendi occaſionem mihi præbet cujusdam ægrotorum hiſtoria: Virgo 20 annorum quatuordecim diebus, antequam ad nos ducta fuit, affecta erat dolore punctorio pectoris, tuſſi admodum moleſta, horrenda dyſpnoea, ſputo jam puriformi, ſiti, æſtu pulſu admodum celeri; quamvis venæſectio jam quater inſtituta fuerit, eandem tamen adhuc toties repetere opus erat, antequam dolor & dyſpnoea tolerabiles reddebantur; vigeſimo ſecundo morbi die paroxyſmus febrilis ſupervenit inſequentibus diebus reverſus, hinc propinavi Decoctum paratum e corticis peruviani drachmis ſex, radicis ſenegæ drachmis duabus, coctis cum unciis duodecim aquæ ſimplicis ad remanentes uncias octo, quod omni hora temporis apyreti ſumtum tollebat febrem & multum minuebat tuſſim, quæ tamen modo poſt longum uſum

juſculi

jusculi secalini cessavit. Medicis vero cavendum est, ne hoc aut similibus variis exemplis quoad corticis usum abutantur, sæpe enim in suppuratione pulmonum incidunt rigores & exacerbationes febriles, quæ minime pro rite periodicis judicari, aut qua tales per corticem tractari debent; non paucos novi pulmonarios largiter & lubenter hoc medicamine usos eodemque neminem sanatum, postea similes ægrotos supra laudata methodo absque cortice curavi, unde sequens deduxi corrolarium: Magna copia corticis magnam allatis ægris infert noxam; minor minus sensibiliter lædit & plane nihil tutissimum est.

Complicatæ quædam inter nostras pleuritides erant cum febre putrida utriusque morbi symptomata tunc præsto erant varia tamen ratione connexa: quandoque præpondium inflammationis mox initio per sputum sanguineum & eductum sanguinem summe phlogisticum indicabatur, hinc per venæsectionem etiam repetitam sublato dolore evolvebatur febris putrida cum insigni debilitate, stupore &c., quæ emetico & solitis antiputridis remediis debellabatur: In aliis symptomata putrida

trida vertigo, ſtupor, ſapor malus initio prævalebant, ob quæ emetico cum effectu porrecto, inflammatio manifeſtior reddebatur & repetita eductione ſanguinis phlogiſtici tollebatur. Quandoque ſymptomata initio mere putrida erant, in progreſſu vero morbi ſecum ducebant tuſſim, oppresſionem pectoris, ſputum puriforme imo leviter ſanguineum, tunc rariſſime convenit venæſectio, ſed expectorantia cortici juncta uti Decoctum corticis cum radice ſenecæ ſupra laudatum.

Salivatio ſpontanea foetida copioſa cum dolore faucium & oris, tumore & exulceratione Linguæ gingyvis cruentis in juvene 24 annorum ſucceſſit hæmoptyſi notabili; alvus ſimul erat ſegnis; porrexi tantum Syrupum altheæ cum ſyrupo e manna quotidie ad aliquot cochlearia, ita ut leniter alvus ſubducta fuerit; interea ſaliva per undecim dies fluere perrexit; tunc veſicatorium nuchæ appoſui, cujus vi intra biduum ceſſavit ſalivæ fluxus absque ſequela alterius morbi.

Dolore iſchiadis & inguinis dextri ſex hebdomadibus afflicta puella intereaque repetita venæſectione & antiphlogiſticis tractata urinam miſit,

quæ largum pus continuit; pyuria hæc nullis tollenda remediis adhuc duravit quatuordecim diebus, tunc ſucceſſit tumor ingvinis dolentis ſenſim in abſceſſum mutatus, quo aperto & pure largo effuſo dolor & pyuria ceſſarunt, ulcus quidem diu ſuperſtitit demum a chirurgo ſanatum.

SECTIONES.

VIRUM acuta febre cum dolore oppreſſorio totius pectoris & punctorio ſub coſtis ſpuriis dextris, dyſpnoea notabili, tuſſi ſicca, ſingultu affectum nec frequenti venæſectione aliave convenienti medela ſalvandum ſed decimo octavo morbi die demortuum diſſecuimus atque invenimus totum pulmonem dextrum livido-rubrum induratum tuberculis plenum, ſub inciſione ſaniem foetidam fundentem nec non ubique & firmiter tam pleuræ quam diaphragmati coalitum; pulmonem ſiniſtrum in circumſcripta parte ejusdem coloris ibidemque pleuræ adnatum, partem diaphragmatis dextram in ſuperficie inferiori debito magis rubentem & vaſa ſanguinea valde turgida habentem. Singultus peripneumoniæ noſtræ annexus diaphragmatis ſimul inflammati ſuſpicionem mihi dedit, qualem

diagnoſin

diagnosin anatome cadaveris comprobavit & ratione similium casuum firmiorem reddit.

Vir 30 annorum post dolorem vagum abdominis mox punctorium mox ardentem quatuor hebdomadum quandoque cum adjuncto vomitu surgere observavit tumorem in regione hypochondrii sinistri durum tantum a forti pressione dolentem; tormina abdominis nilominus pergebant cum intolerantia omnis cibi solidioris, alvoque stricta tantum clysmate referanda, emaciatione corporis; tumor itidem, quamvis varia intus & extus applicarentur remedia resolventia, increvit ad enormem molem cum duritie absque ulla fluctuatione, anxietas, astma, palpitatio cordis etiam molestabant versus vitæ finem, qui post tres menses ab initio morbi accidit. Aperto abdomine nulla videbantur intestina, eorum autem locum occupabat tumor insignis mesenterii durus totam cavitatem abdominis fere implens immobilis & lumbis fortiter annexus quoad anticam superficiem nigrescens, quique incisus materiem saniosam brunnam effundebat, colon transversum & omnia intestina tenuia infra tumorem depressa & in regione hy-

pogaſtrica poſita erant. Hepar, lien, pancreas admodum parva tamen naturalia erant. Dolores abdominis tumorem præcedentes & comitantes originem ejusdem ab inflammatione & ſuppuratione meſenterii probabilem reddunt, a volumine tumoris intelliguntur dislocatio & compreſſio inteſtinorum indeque obſtipatio alvi, *vomitus*, intolerantia cibi ſolidioris & atrophia; vaſa ſanguifera abdominis per tumorem increſcentem compreſſa, nimiam fecerunt reſiſtentiam contra ſanguinem a corde propulſum, unde ejusdem palpitatio & anxietas ſurrexerunt.

JUNIUS.

FEBRES putridæ numeroſæ ſæpe diarrhoea modica & aphtis, unde bonus ſperandus erat eventus, ſtipatæ; quo gravius caput aut delirio aut ſtupore afficiebatur, eo periculoſior erat morbus.

FEBRES pleuriticæ nonnullæ, quarum una memorabilis erat: Vir 46 annorum ſex diebus laborabat inſigni dolore oppreſſorio pectoris, tuſſi, ſputo ſanguineo, alvo laxa, ſtrepitu pectoris, pulſuque celeri tenſo; die introitus bis inſtituta

fuit

ſuit miſſio ſanguinis phlogiſtici, veſicatorium toti pectori applicitum & emulſio camphorata porrecta; 7mo die ſub ſtatu eodem nec ulla ſuccedente expectoratione granum kermis gummi arabico appoſitum omni hora alternatim cum emulſione propinabatur, 8vo die ſtrepitus ceſſabat absque expectoratione, dolor vero punctorius inſuper aggreſſus deſiderabat venæſectionem, quæ nono die repetita dolorem fugabat; alias morbus manebat idem absque proventu ſputi ad diem undecimum, quo aphtæ in conſpectum venerunt, tunc morbus evanuit excepta aliquali dyſpnoea, quæ uſu kermis continuato fugabatur. Strepitus pectoris alias funeſtus in noſtro ægroto exceptionem a regula communi fecit, aphtasque criticæ expectorationis vices ſuppleviſſe rarum ideoque mentione dignum habui.

Intermittentes tertianæ nonnullæ ut plurimum ſalinis remediis ſanatæ; bina vice radix gei tentabatur: Vir tertiana 4 hebdomadum affectus, præmiſſis ſalinis, emetico & purgante remedio, tempore apyreto adhibuit cochleare minus hujus pulveris omni hora per ſex dies, tunc febris ceſ-

 ſavit

ſavit &, quamvis mox laxans ad alvum uſu pulveris valde conſtrictam ſolvendam præbuerim, haud tamen poſtea rediit. Altera ſeptem hebdomadis partim tertianam partim quotidianam paſſa poſt ſumta digeſtiva indeque laxatam alvum & linguam depuratam pulvere gei omni hora extra paroxysmos per duodecim dies ſumto ſeſe replevit; febris tamen non ceſſabat ſed mox graviori mox mitiori gradu recurrebat, quo obſervato, ſimulque flaveſcente facie & tumentibus cruribus non amplius hujus remedii uſui inſiſtere auſus ſum, ſed porrecto catartico febrem ad ſolitum gradum reduxi, illamque dein per corticem, cui ſal ammoniacum & rheum appoſita erant, binis diebus prorſus ſanavi.

Successionem morborum ſingularem obſervandi occaſionem mihi dedit quinquagenarius bibo hydropicus: ſumtis enim cremore tartari & infuſo juniperino intra paucos dies ſerum corporis abundans in matula depoſuit; tumori evanido ſucceſſit ſtranguria moleſta cum urina limpida indeque depoſito ſedimento puriformi; ſepoſitis diureticis & porrecto potu largo mucilaginoſo crebra & moleſta

molesta mictio siluit; verum surrexit dolor gravis pectoris per venæsectionem repetitam dissipatus, & quasi transmutatus in artuum dolores vagos crura tamen præprimis occupantes; hi autem post paucos dies iterum notabiliter mitescebant sub redeunte stranguria cum sedimento partim puriformi partim calcareo, exhibui nunc liquoris nervini guttas triginta ter indies, quo stranguria sensim sublata fuit & dolores arthritici magis magisque increverunt; Hi dein per essentiam Stibii cum spiritu lavendulæ composito sanabantur. Utrum arthritis hæc hydropica fuit e relicta crassiori parte seri hydropici per colatoria haud meabili? an potius hydrops arthriticus ex materia arthritica in textu celluloso effusa atque vi acredinis refluxum non admittente explicabilis? Liquor nervinus in præsenti casu proficuus, e camphoræ scrupulis duobus solutis in liquoris anodini mineralis uncia dimidia generalem in arthritide irregulari meretur laudem.

JULIUS.

Febres intermittentes raræ benigni moris & curatu faciles.

Inflammationes nonnullæ partim hepatis partim pectoris. Quidam pleuritidem quatuor diebus passus subito a morbo pectoris liberatus fuit, sed in grave delirium incidit; educto per venam bis incisam sanguine phlogistico nec non per sanguisugium temporale atque exhibita mixtura camphorata acida delirium cessavit, ejusque loco nono morbi die revertebatur pleuritis, quæ per sputum largum puriforme feliciter in sanitatem terminata fuit.

Tali accidente transpositione morbi acuti pectoris in morbum acutum capitis nil probabilius statuitur quam eadem morbi indoles sc. inflammatoria in utraque parte, ideoque in secundo ut in primo casu eligenda est medela antiphlogistica, nec inconveniens foret, nuchæ aut brachiis applicare vesicatoria, quibus materia morbi quæ volatilis naturæ esse videtur, ad partes externas derivari potest.

Apud

Apud alterum inflammatio hepatis venæſectione tractata tranſiit in febrem tertianam; hæc ſub uſu reſolventium iterum convertebatur in morbi primitivi levem recidivam, quæ repetita venæſectione absque inſequenti alio morbo ſanabatur.

Febres complures bilioſæ erant indolis, nonnullæ ſolis evacuantibus ſanatæ, aliæ gradum putridæ habentes quandoque cum petechiis; communis criſeos via per alvum erat; quibusdam metaſtaſis ſolvebat morbum; in puella terminatus fuit morbus fluxu purulento auris dextræ nec non deſquamatione epidermidis totius corporis, ſub qua ungues omnes manuum & pedum ſimul abſcedebant. Apud alteram graviter delirantem cum pulſu celeri & debili atque excrementis involuntariis omniaque medicamina reſpuentem ſupervenit largum ſanguinis profluvium ex utero, indeque morbus ſublatus fuit. Alium quatuor hebdomadibus putrida febre affectum invaſit dolor inſignis pectoris cum ſputo mere ſanguineo admodum largo, cujus funeſtum eventum venæſectio & copioſa ſpiritus vitrioli ingeſtio avertere haud valuerunt.

 Puer-

Puerperali febre affectæ e nosocomio obstetricio in valetudinaria nostra quatuor ducebantur:

Femina 34 annorum jamjam quatuordecim diebus febre hac mox post partum orta ægrotabat sc. vomitu & diarrhoea, expansione dolorosa abdominis, tussi, angustia faucium deglutitionem impediente, lingua aphtosa; mox venam secui, & camphorata exhibui, quæ autem prorsus sufferre nequibant; nil ideo dedi præter linctum interdum sumendum e mucilagine gumi arabici Syrupi altheæ ana uncia, pulveris borracis venetæ drachma; 16to die repetita fuit venæsectio, 17mo fluxus uteri sanguineus apparuit ad tres dies protractus, reliqvus tamen status manebat cum vomitu frequenti bilioso alvoque quotidie ter quaterve liquide aperta, medicinam tamen non mutavi, 21mo die restituta lingua, pulsus antea celer retardatus & somnus quietus observabantur, ex hoc quoque die vomitus tantum omni mane biliosus recurrebat, dolorque abdominis cum laxitate alvi sensim cessabat, ita ut demum 30mo die ab initio morbi convaluerit ægra.

Sectiones.

SECTIONES.

ALTERA 31 annorum etiam mox post partum morbo dicto correpta fuit, qui jam quatriduus erat cum lumbagine, diarrhoea profusa, dolore artuum, pulsu celeri debili, sudore frigido & quinto die mortem inferebat. Aperto abdomine invenimus ventriculum & intestina valde expansa, serum largum flavescens purulentum in cavitate pelvis, superficiem anteriorem uteri crusta purulenta obductam, tubas Fallopianas & ovaria inflammata.

FEMINA 21 annorum statim absoluto partu incidit in similem febrem jam per octo dies durantem cum dolore abdominis admodum expansi attactum haud ferentis, diarrhoea, cephalalgia insigni, pulsu celeri debili, lingua aphtosa; semel venam secui & emulsionem camphoratam propinavi, omnem vero medicinam respuit, & status permansit idem cum insomnia continua ad 14tum diem, quo delirium simul accessit; 21 modie vomitus jungebatur tam spontaneus quam omnium ingestorum. 24to sanguinem atrum evomuit

aegra,

ægra, quænam excretio ſanguinis tam per vomitum quam per alvum continuavit ad diem 29num, qui ultimus erat. Facta apertura abdominis valde expanſi larga copia fluidi ſpiſſi flavi foetidi ſaltem ad menſuras quatuor effundebatur; omentum totum ſphaceloſum & tam arcte cum inteſtinis & reliquis viſceribus abdominis agglutinatum, ut omnia in hac cavitate, contenta unicæ maſſæ ſive paſtæ ſpeciem habuerint, quænam corruptio univerſalis ulteriorem diſquiſitionem partium ſubjacentium impediebat.

Puerpera 18 annorum tertio poſt partum die ægrotavit, & quarto morbi die ad nos ducta querebatur dolorem abdominis, ſitim, æſtum, vomitum, ſingultum cum pulſu celeri duro; quater jam vena ſecta erat, adhuc bis repetii venæſectionem & emulſionem camphoratam præbui; alvus nunc reddebatur laxa, 5to die delirabat nullum amplius dolorem abdominis ſentiens, 6to die moriebatur. In diſſecto cadaveris abdomine aderat ſerum largum flavum, in quo flocculi purulenti copioſi innatabant, uterus ad magnitudinem capitis infantilis expanſus ſanguinem grumoſum

conti-

continebat, ambo ovaria & tubæ Fallopii debito majora dura inflammata deprehendebantur.

Unica tamen e nostris ægrotis excepta fuit a lethalitatis regula, quæ in febre puerperali dicta adeo universalis est, vix alia rarissimæ hujus fortunæ causa cogitari potest, quam materiæ morbosæ, quæ communi modo deposita inflammationes funestas excitat, talis versus intestina directio, ut per diarrhoeam salutarem evacuari potuerit; in hoc & similibus casibus arti nihil, naturæ autem totus adscribi debet eventus. Ex allatis historiis & aliis, quæ in posterum memorandæ veniunt, elucescit, non semper easdem abdominis partes sub hoc morbo affici sed jam omentum, alias uterum, illive pertinentia viscera passioni esse subjecta.

Notanda quoque est diversa hujus febris duratio, quæ utplurimum brevis est ad quinque circiter dies, interdum longius protracta, quæ-que tam a differentia partium affectarum quam a varia inflammationis terminatione derivanda est.

Hactenus in eruenda cura tantæ plagæ convenienti & sufficienti oleum & operam perdide-

runt

runt multi illustres medici, ita ut ex inutilibus eorundem experimentis nec non ex ipsius læsionis indole in demortuis detecta vix ulla supersit spes morbi jam præsentis removendi; prudentius vero & forsan prosperius foret studium eundem prævertendi. Regula hujus prophylaxeos generalis esset, ultimis graviditatis mensibus tollere, quantum potis erat, inflammatoriam dispositionem tam a parte sanguinis quam a parte viscerum abdominalium, cuinam scopo accommodata videntur venæsectio pluries pro re nata instituenda, victus parcus liquidus blandus potius e regno vegetabili quam animali, evacuatio alvi libera imo solito largior; per se intelligitur, quod non omni tempore opus sit gravidis adeo strictam imperare diætam, sed tantum graasante epidemia quadam febrili imprimis puerperali.

Dolore medii pectoris post passam hæmopthysin superstite sex hebdomadis femina 30 annorum laboraverat cum tussi, quibus sextiduo proximo juncta erant cephalalgia, sitis, æstus, dolor artuum fere omnium cum tumore eorundem; misso quater sanguine phlogistico subito apoplexia

periit

periit ægrota. Aperto thorace cavitas ejusdem finiſtra ſerum largum limpidum continuit, pulmo ſiniſter valde inflammatus, cavitas pectoris dextra ſerum ſanguineum habuit, pulmo hic etiam inflammatus abſceſſibus multis parvis obſeſſus & pleuræ accretus erat, pericardium ſerum flavum & cor exiguum cruſta purulenta extus obductum continuit in baſi cranii duæ circiter unciæ ſeri ſanguinolenti aderant, alias nullum encephali vitium.

Apoplexia funeſta hujus ægrotæ merito adſcribitur extravaſato ſero in cavitate cranii, quænam effuſio probabiliter traxit ortum a morbo & anguſtatione pectoris, qua ſanguinis deſcenſus a capite impeditus fuit. Plures ſimiles caſus me docuerunt facilem apoplexiæ originem ex allata affectione pectoris, meque ad ſingularem duxerunt attentionem circa ſubjecta ob ſenium v. aliam rationem ad apoplexiam diſpoſita, dum ſimul morbo pectoris affliguntur, ut tempeſtiva ſanguinis miſſione aliaque convenienti medela a minante infortunio ſecuri reddantur.

Juvenis 20 annorum dolore medii abdominis & hypochondrii dextri, vomitu frequenti,

alvo

alvo ſemper laxa menſis ſpatio afflictus, intereaque ſine juvamine venæſectione repetita & remediis camphoratis uſus ſub ſingultu, expanſo abdomine, doloris ſubita ceſſatione, ſudore frigido, delirio exſpiravit. Aperto abdomine omentum & inteſtina ubique & inter ſe invicem & cum peritonæo erant coalita; pus largum extravaſatum in interſtitiis inteſtinorum ubique comparuit, & lobus dexter hepatis prorſus ſuppuratione conſumtus inveniebatur.

Sexagenarius dimidio anno laboravit dolore abdominis circiter medii & regionis ventriculi cum alvo ſtricta non niſi remediis ſolvenda; poſt venæſectiones & remedia camphorata ſe melius habuit, & dolor pro tempore evanuit; iterum vero recruduit cum tumore regionis ventriculi ad pugni magnitudinem attactum fortiorem haud ferente; cui juncta erant eructatio frequens mox acida, mox putrida, vomitus intercurrens, alvus per ſe ſtricta; variis licet reſolventibus & ſaponaceis adhibitis increverunt ſymptomata, corpus magis magisque emaciatum fuit cum oedemate crurum; verſus finem ſingultus acceſſit. Aperto abdomine, dimidia pars ventriculi ſc. extremitas

illius

illius dextra in toto ambitu ſuo ad corpus admodum durum cartilaginoſum fere ad magnitudinem capitis neonati transmutata erat, quinam tumor inciſus ex tunicis valde incraſſatis formatus eſſe videbatur, attamen verſus pylorum materiam brunni coloris ichoroſam continuit; tunicæ extremitatis ventriculi ſiniſtræ etiam debito magis incraſſatæ erant. Interna ventriculi capacitas admodum parva, inteſtinum ileum verſus inſertionem in colo etiam valde contractum erat; glandulæ meſenterii & pancreas indurata.

SYMPTOMATA hujus ægroti ex anatome demortui facile declarari poſſunt; diagnoſis vero talis morbi in vivis difficulter eruitur, utpote illius ſigna eadem ſunt cum ſignis obſtructi & tumefacti hepatis in concava illius ſuperficie; ſub tali dubio ſtatu ſatius tamen ducitur medelam dirigere contra morbum hepatis, qui frequentior eſt & quandoque curationis capax, quam contra allatum affectum rariorem & incurabilem.

AUGUSTUS.

In universum morbi hoc mense regnantes e vitiosa humorum intestinalium constitutione ortum traxerunt; cujus sc. varia acredo, copia & spissitudo conspirante diverso habitu ægrotorum differentes etiam effectus mox febres mox inflammationes, mox fluxus morbosos produxerunt.

FEBRES putridæ indolis permultæ erant sed diverso gradu. Omnium tamen cujuscumque gradus simile erat initium, consistens in *vertigine*, debilitate, sapore depravato, lingua sordida, cephalalgia quandoque sat gravi. Saltem dimidia harum febrium pars emeticis interdum repetitis, cremore tartari, laxantibus debellata fuit. Opportunitatem hujus methodi & quamdiu continuari debebat, indicarunt symptomatum levamen, non vero plenaria sublatio, vires exinde haud fractæ sed potius erectæ & demum adeo restitutæ, ut nulla alia medicina opus fuerit. Brevitas morbi in hoc casu communiter levitati ejusdem respondebat. In aliis vero bene multis adhibita licet eadem depurante methodo perduratio v. incrementum symptomatum cum stupore notabili, delilitate

&

& celeritate pulſus conſuadebant alteranti & roboranti incedere via, atque evacuationem ipſi naturæ committere. Etiam apud hos ægrotos fere omnes diarrhoea ſpontanea minus magisve notabilis criſin conſtituit; in ſolis duobus expectoratio puriformis morbum ſolvebat; in nonnullis delirium, ſtupor ſummus, rubor inſignis faciei morbi funeſtum finem præſagiebant.

Febres intermittentes nonnullæ præſertim tertianæ, ſæpe proles febrium continuarum, quæ evacuantibus tractatæ erant; quandoque vice verſa, ſi nimis cito cortex porrectus fuit, in continuas vertebantur, atque iterum adhibitis evacuantibus periodicam naturam recipiebant, unde jam nota opinio confirmata fuit, febres autumnales impuritate primarum viarum abundare & aliis diutius ſalina & evacuantia remedia deſiderare.

Inflammationes abdominales ſolito frequentiores Juvenis dolore medii abdominis, vomitu, ſingultu, alvo ſtricta afflictus vena ſepties ſecta & mixtura camphorata porrecta octavo die convaluit ſponteque depoſuit alvum, quæ antea clysmate & lacte ſulphuris incaſſum tentata erat, quænam alvi

laxitas aliquot diebus continuans morbum abdominalem ſuſtulit; ſurrexit autem dolor genuum & crurum dein ad caput adductus & veſicatorio nuchæ fugatus.

In altero dolor umbilicum & teſticulum dextrum abſque ejusdem viſibili mutatione occupans allata medela ceſſavit. Adhuc alter dolore abdominis & teſticuli ſiniſtri laborans curabatur. Apud alium diarrhoea ſponte ſedata oriebatur dolor ſub coſtis ſpuriis dextris ad cardiam extenſus cum obſtructione alvi, vomitu ingeſtorum ſitique; vena quater ſecta miteſcebat dolor & flatus deorſum mittebantur, tunc pulv. rhei & temp. ſal. camph. ana drachma dimidia ter die porrecta nec non veſicatorium lateri admotum alvum & morbum ſolvebant; dolori vero evanido ſucceſſit efflorescentia miliaris digitorum utriusque manus aliquot diebus ſponte tranſiens.

Quidam a ſpiritu vini nimis ingeſto, alter ab ictu abdominis in ſymptomata inflamationis inteſtinalis incidentes ſolitis remediis ſanabantur. Alter diarrhoea vino rubro ſuppreſſa corripiebatur dolore hypogaſtrii cum obſtipata alvo, inquietudine

dine, vomitu ingeſtorum, eructatione frequenti; ſexies triduo vena ſecta fuit, clysma ſine effectu applicitum, camphorata adhibita & demum cataplasma abdomini admotum, ſub quo flatus abierunt, alvus fluxit morbusque ceſſavit.

Alius & ſymptomatibus putridæ febris & dolore abdominis menſis ſpatio afflictus moriebatur, in cujus aperto abdomine aderant ſerum largum limpidum, plures hydatides colo aſcendenti adhærentes nec non in colo transverſo tres abſcesſus ad magnitudinem nucis avellaneæ, inteſtinum ileum gangrænoſum.

Dysenteriæ cum ſolitis hujus morbi ſymptotibus curabantur emetico & dein electuario e cortice peruviano & rheo parato methodo, quam anno prægreſſo laudavi.

Febres puerperales quatuor.

Femina 29 annorum tridua jam febre mox poſt partum orta laborans querebatur æſtum, ſitim, dolorem & expanſionem abdominis attactum haud ferentis cum ſtranguria, ſingultu intercurrente, alvo ſegni, pulſu celeri tenſo, Lochiis mox initio morbi ſuppreſſis; mox bis miſſus fuit ſanguis phlo-

 giſticus

gisticus & emulsio camphorata exhibita, quarto die lochia redierunt, persistente tamen dolore abdominis, nilominus bis vena secta fuit & clysma applicitum cum pauco effectu, quinto die dolor abdominis cessavit, accessit dolor brachii dextri & pedis sinistri, pulsus fortis, abdomen expansum manebat, hinc venæsectio & clysma cum effectu repetebantur, sexto die humerus & collum dextri lateris dolebant, lochia adhuc fluebant, abdomen adhuc expansum, septimo die abdomen restitutum, octavo mammæ lacte turgescebant & convaluit ægrota præter dolorem brachii, qui admoto vesicatorio fugatus fuit. Nonne ex hoc casu inferre liceat, febrem puerperalem saltem quandoque oriri e lacte in visceribus abdominis deposito, quod si vasis nondum nimis impactum sit, feliciter auferri & ad loca minus nobilia mammas aut alia transmigrare valet. Artis auxilium huic scopo conveniens forsan erunt emollentia mammis sat tempestive applicita.

Femina 19 annorum sex diebus hac febre mox post partum orta laborans nobis adducebatur cum dolore & tensione abdominis, siti, æstu, diarrhoea,

arrhoea, cephalalgia, delirio; Lochia ad quartum morbi diem fluxerunt. Mihi solita super allata remedia nil valebant contra mortem nono morbi die incidentem. Aperto abdomine omentum erat valde inflammatum, pro parte gangrænosum, colon transversum versus pelvim depressum etiam inflammatum, intestina tenuia passim inflammata & materia purulenta obsita, S. romanum, mesenterium, ventriculus etiam inflammata, Hepar laxum lividi coloris, in hypochondrio dextro sanguis extravasatus, largus, tenuis, bile mixtus, uterus inflammatus cum multis abscessibus; ovarium & tuba fallopii lateris sinistri inflammata, tuba dextra gangrænosa & ovarium dextrum in abscessum degeneratum.

Altera femina iisdem symptomatibus secundo post partum die correpta quarto die exspiravit. In abdomine demortuæ serum extravasatum, externa uteri superficies & ovaria multo pure denso obducta, in ovario sinistro inciso pus aderat, superficies interna uteri atra, gangrænosa, foetida; omentum & cetera naturalia, intestina aere valde expansa.

Adhuc altera etiam demortua non fuit dissecta.

Vertigine, dyspnoea, tussi, oblivione, auditu gravi, tumore oedematoso crurum mensis circiter spatio afflictus sexagenarius ad ultimum valde stupidus reddebatur & exspirabat. Aperto cranio cerebri substantia valde laxa inveniebatur; inter piam matrem & cerebrum aderant plures hydatides pressione serum fundentes, ventriculi laterales præsertim dexter & tertius multum continebant serum, quod etiam in basi cranii larga copia aderat.

Vomitu ingestorum cum dolore cardiæ alvoque segni cruciata sexagenaria sequenti, postquam ad nos ducta fuit, nocte sub gravi vomitu materiæ nigrescentis moriebatur. Apertum abdomen serum aliquale spissum continuit, omentum erat pinguissimum nec non mesenterium, ventriculus valde expansus cum tunicis maxime extenuatis, extremitas illius sinistra ad peritonæum fuit accreta, & demum in curvatura ventriculi minori aderat foramen ad crassitiem calami scriptorii, per quod materia nigra illi mox ante mortem evomitæ

similis

ſimilis in cavitate abdominis ſub preſſione ventriculi effluebat.

Vomitus ſimilis omnium ingeſtorum mox poſt aſſumtionem cum deglutitione impedita ob ſenſum obſtaculi ſub extremitate inferiore ſterni, nec non tumore & duritie cardiæ atque hypochondrii dextri novem hebdomadibus virum 36 annorum cruciaverat, emaciaverat & demum prægreſſo vomitu largo ſanguineo necavit. Cadaver erat admodum macilentum, adeo ut per involucra abdominis vertebræ dorſi diſtincte percipi potuerint. Aperto abdomine apparuit ventriculus magnus extus albus intus inflammatione rubens & rugis calloſis verſus cardiam maxime prominentibus notatus atque humorem atro grumoſum multum continens; cardia mox ad inſertionem æſophagi ad duas tertias partes erat ſchirroſa, cartilaginea, duos pollices craſſa paucisque nodis duris piſiformibus prædita, æſophagus ipſe etiam circa inſertionem in ventriculo erat ſquirroſus, cartilagineus, hinc orificium ventriculi ſuperius erat anguſtiſſimum ſpecillo tenui vix pervium. Pancreas verſus duodenum erat ſchirroſum; hepar in utraque ſuper-

ficie multis obfeffum erat tuberculis cartilagineis, figura & magnitudine diverfis, quorum pauci & parvi etiam in fubftantia hepatis aderant; inteftina omnia erant livida gangrænofa.

Dolore auris finiftræ cum fluxu ejusdem purulento, cui dein acceffit dolor gravis circa oculum & demum in bregmate ejusdem lateris, nec non inflammatio & fuppuratio parotidis finiftræ bimeftri fpatio juvenis 26 annorum mifere vexabatur, evacuantia omnis generis nec non mercurialia, quia æger erat miles gallus & dolor noctu exacerbatus fuit, fruftra tentavi; ultimis diebus epilepfia, horripilationes & vomitus ingeftorum frequenter aderant. Cranio demortui diffecto dura mater admodum rubra & vafa cerebri valde expanfa videbantur; falx duræ matris denfa in medio habuit officulum magnitudine piperis, ventriculus laterales dexter & tertius multum ferum continebant, fuper fellam turcicam paucum aderat pus flavum nec non circa adjacentem partem cerebri & medullam oblongatam, in lobo finiftro cerebelli aderat abfceffus magnitudinem ovi fuperans & pure repletus, proceffus petrofus ejusdem lateris

teris carie affectus erat, dura autem mater illum obvestiens sana inveniebatur.

EPILEPSIA irregulariter recurrente, diversæ durationis, cum fatuitate paroxysmos insequente & extra eosdem vertigine, difficili loquela, gravitate capitis interdum tanta, ut illud erectum teneri nequiret, ultra annum miles quadragenarius laboravit, multisque remediis frustra adhibitis concidit mortuus. Reclusa calvaria & dissecta dura matre larga seri copia effluxit, pia mater insigniter crassa tanquam cellulosa aqua repleta fortiter cum cerebro coaluit & incisa serum effudit; hujus fluidi etiam notabilis portio in omnibus cerebri anfractibus, ventriculis & basi cranii inveniebatur.

SEPTEMBRIS.

FEBRES putridæ numerosæ ejusdem circiter naturæ ac mense prægresso; e quinquaginta ægrotis octo moriebantur, quidam apoplexia tacti, alii ob metastasin ad pectus, alii cum signis inflammationis intestinalis.

INTERMITTENTES nonnullæ varii typi, utplurimum ortum trahentes a febre continua per evacuantia tractata.

DYSEN-

Dysenteria septendecim ægrotarunt communiter cum symptomatibus biliosis; quibus præsentibus curam ab emetico incepi; illis vero absentibus mox mixturam oleoso mannatam R. mannæ calabrinæ uncias duas, salis anglicani unciam mediam, solve in aquæ simplicis unciis quatuor, adde olei olivarum albi unciam, porrexi & *quandoque* bis terve alternis diebus repetii, unde bonus effectus ad sedandos dolores & minuendum sedum numerum sub hac epidemia observa*tur*; etiam clysmata oleosa, ubi interna remedia intolerabilia evomebantur, bis per diem cum optato eventu adhibui. Electuarium vero corticis in epidemia prægressi anni adeo laudatum & laudadile in præsenti, raro & vix proficuum inveniebatur. Tres ægrotorum moriebantur, duo sc. lente mensis spatio consumti, alter felicius decimo morbi die.

Abdominis expansio dolens novem hebdomadis protracta cum lumbagine & alvo naturali ab haustu frigido sub incalescentia corporis orta fuit, atque venæsectione simplici nec non mixtura camphorata acida bihorio exhibita sat cito sanata fuit.

Ardens

Ardens dolor cardiæ tribus hebdomadibus cum alvo & menſtruis regularibus feminam afflixerat, tunc ſimul lumbago acceſſit cum nonnullo dolore femorum, ſanguis miſſus non phlogiſticus nil juvavit, camphorata poſt aliquot dies dolorem cardiæ mitigabant, femorum autem nec non crurum promovebant, augebant; veſicatoria nunc ſuris applicita dolorem tam abdominis quam extremitatum prorſus fugabant; dolor tamen brachium ſiniſtrum cum aliquali immobilitate ejusdem occupavit & paucis diebus illæſa reliqua ſanitate evanuit. Hæc arthritis anomala methodo in hoc caſu mihi ſolenni feliciter ſanata fuit.

Colica pictonum ſolito gravior ter obſervata fuit. Juvenis 20 annorum ad nos veniens octiduo afflictus erat dolore medii abdominis & hypochondrii dextri lumbagine, alvo ſtricta, ſapore amaro, vomitu omnium ingeſtorum pulſuque duro. Non auſus fui morbum aliter quam inflammatorium conſiderare & tractare, ſanguinem ter miſi, ſed absque cruſta phlogiſtica & absque levamine, camphorata veſicatorium lateri dolenti etiam fere incaſſum adhibui, ſed ceteris malis ſin-

gultus

gultus jungebatur, demum clysma oleosum insigne levamen per largam evacuationem attulit; dolor extremitatum inferiorum antea absens nunc surrexit, e quonam signo simul junctis frustraneo usu medelæ antiphlogisticæ, sanguinis missi bona conditione nec non munere ægroti, qui erat pictor, colicam nervosam esse conclusi, ideoque porrexi mixturam anticolicam e pulveris fol. sennæ, nitri depurati ana drachma aquæ menthæ unciis quatuor, olei lini unciis duabus compositam, cujus cochlearibus duobus bihorio sumtis brevi sanabatur æger.

Alter pictor ob dolorem abdominis constrictorium & obstipationem alvi sumserat tincturam catarticam, unde dolor pejor redditus fuit cum vomitu omnium ingestorum & singultu, in quonam statu quinto jam morbi die ad nos venit, vix non majori ratione, quam in casu mox prægresso inflammationem suspicans; quater venam secui prima & ultima vice cum sanguine phlogistico & camphorata propinavi; hinc flatus sub mitigato dolore abierunt, & simul crura doluerunt in argumentum colicæ jam spasticæ indolis, quare clysma oleosum

oleosum & mixtura anticolica in usum tractata cito ægrotum curabant.

Maximum vero hujus colicæ gradum contigit mihi videre in viro 36 annorum, qui aliquoties hunc morbum passus, hac ultima vice octiduo laboravit gravi dolore abdominis, obstipata alvo, dolore & plenaria immobilitate extremitatum tam inferiorum quàm superiorum, voce rauca, debili, vix intelligibili, labiis oris paralyticis dependentibus, ita ut ingesta in ore vix retineri possent, quænam debilitas in fauces etiam propagata videbatur, utpote solidiora ingesta deglutiendi vi privatus erat; corpus præterea valde emaciatum erat cum tanta debilitate, ut situm erectum vix sustinere potuerit, oleosa emollientia intus & extus per os & anum applicita alvum quidem aperiebant largiter, haud vero impedientes, quo minus debilitas ad mortem usque increverit. Quænam symptomata e summo gradu colicæ pictonum nasci possint, per hunc casum innotescit.

Tumor durus planus totam latitudinem pectoris sinistri occupans cum oedemate brachii sinistri post peripneumoniam gravem venæsectione frequenti

frequenti sublatam oriebatur in viro 29 annos nato; cataplasma emolliens nec minuit nec ullo modo mutavit tumorem, similis inertiæ erat oleum volatile inunctum, hinc unguentum neapolitanum in usum trahebatur, quod diu suffracta dosi affecto loco applicitum, præsertim sub accedente salivatione, adeo diminuit tumorem, ut æger ad omnes labores utilis nobis valedixerit.

Vomitu hectico aut potius regurgitatione ingesti nutrimenti initio tantum solidi, dein etiam fluidi, antequam in ventriculum pervenerat, vir 45 annorum tempore bimestri consumtus & necatus fuit. Aperto cadavere inveniebantur glandulæ duæ posteriori superficiei æsophagi adhærentes magnæ induratæ & canalem æsophagi adeo comprimentes, ut nihil sine adhibita violentia transprimi potuerit.

Dolore & tumore hypochondrii sinistri & dorsi post ictum in latus 3 septimanis graviter afflictus vir 53 annorum subito exspiravit. Aperto abdomine sanguis extravasatus, condensatus mox comparuit, lien erat disruptus, maceratus, versus latus internum coalitus cum tumore insigni capitis

magni-

magnitudinem habente, qui incisus adipem condensatam continuit.

Femina febre puerperali cum solitis symptomatibus defuncta ejusque abdomine aperto invenimus largam materiam purulentam, intestina omnia aere valde expansa, ambo ovaria magna nigro-rubra, uterum valde distentum, ejusque internam superficiem inflammatam ichore obsitam.

Febre putrida symptomatibus solitis stipata nec non singulari stupore extremitatum tam inferiorum quam superiorum 18vo morbi die moriebatur vir 29 annorum. Aperto cranio pia mater imprimis hæmisphærii sinistri quasi tela cellulosa aere inflata apparuit, atque incisa serum effudit, simile fluidum in omnibus cerebri anfractibus nec non in ventriculis & basi cranii larga copia aderat, in abdomine nullum vitium inventum fuit.

Alter simili febre cum stupore enormi decimo quarto morbi die exspiravit; ablato cadaveris cranio serum nonnullum effluxit; sub pia matre in omnibus anfractibus cerebri simile liquidum continebatur, & per separationem piæ matris a cerebro effluxit; in ventriculo dextro haud in sini-

 stro,

ſtro, ſed quoque in tertio, quarto & baſi cranii ſimile extravaſatum aderat.

OCTOBRIS.

FEBRES putridæ adhuc numeroſæ.

INTERMITTENTES paucæ.

DYSENTERIÆ rariores quam menſe præcedenti ſolutione oleóſa mannata fauſte tractatæ.

ASTMATE periodico admodum gravi ultra menſem angebatur femina 48 annorum; kermes, ipecacuanna nullum levamen attulerunt; quandoque paroxysmi regulariter omni nocte redierunt, tunc propinatus fuit cortex ut in intermittentibus ſed absque effectu; demum ſponte ſub paroxysmo aſtmatis enormem copiam aſcaridum per alvum depoſuit, quapropter mox pillulas ex aſſa foetida porrexi, nec poſtea revenit aſtma.

SUDORE nocturno debilitante, ſub quo maculæ rubentes latæ haud elevatæ efflorerunt poſt ſudorem diſparentes quinque ſeptimanis afflictus fuit juvenis cum levi dolore vago artuum & rubedine oculorum etiam vaga, ultimo morbi tempore ſimul intumuerunt crura. Antiſcorbutica nil

nil profuerunt; venereum ideo aliquod ſuſpicans mercurium dulcem ad ſalivationem usque propinavi, quo tollebatur morbus.

Colico dolore fixo cum obſtipatione alvi, intercurrente vomitu 9 diebus vir 35 annorum laboraverat, intereaque ſepties vena ſecta erat; bis adhuc ſanguinem miſi haud phlogiſticum, camphorata exhibui, cataplasma emolliens abdomini & clysma oleoſum absque effectu aut levamine doloris applicui; die 12 morbi clysma oleoſum pauca evacuavit cum mitigatione, die 13 dolor brachium dextrum invaſit cum debilitate manus dextræ digitos extendere haud potentis, reliquus ſtatus manebat idem cum frequenti ſingultu; nunc porrexi nitrum cum lacte ſulphuris alternatim cum mixtura camphorata & clysma repetii ſed fruſtra; die 13 ſequens R. mannæ calabrinæ uncias tres, ſalis anglicani unciam dimidiam ſolve in aquæ fervidæ unciis ſex, adde olei olivarum albi unciam unam & dimidiam ad patellam omni hora ſumebatur, mixtura hæc mox alvum quater ſolvebat atque per aliquot dies repetita evacuationem alvi modice promovendo abdomen prorſus reſti-

 tuit,

tuit, superstite aliquali debilitate utriusque manus, quæ lapsu temporis & usu balnei stillatitii sensim sanabatur.

Alter 25 annorum simili dolore colico cum obstipatione alvi, vomitu frequenti, pulsu celeri tenso singultu duodecim diebus insigniter cruciatus fuit, intereaque vena duodecies secta fuit absque sanguine phlogistico, clysmata plura adhibita, nec non camphorata, lac sulphuris, vesicatorium & cataplasma emolliens abdomini, omnia incassum; Demum solutio mannata mox dicta in usum trahebatur, vi cujus alvus largiter aperiebatur; dolorque abdominis cum vomitu & singultu fere prorsus cessabant; surrexit autem dolor femorum insequenti die evanescens cum redeunte dolore aliquali abdominis; hinc vesicatoria suris apposita & mixtura camphorata cum liquore anodino minerali intus exhibita dolorem abdominis e novo fugarunt absque reventu doloris artuum, sensimque restitutionem compleverunt.

In ægrotis nostris nulla suspicio originis saturninæ adfuit; cujusnam ideo naturæ censenda est hæc colica? An inflammatoria, utrum mere spas-

ſpasmodica, ſanguinis miſſi bona conſtitutio, inutilitas medelæ antiphlogiſticæ. & demum bonus effectus remedii emollientis ſpasmum potius quam inflammationem indicare videntur; quænam vero ſigna ante talem experientiam ſub finem morbi tantum capiendam diſtinguere valent ſpasmodicam colicam ab inflammatoria? ſane neſcio; ſecuriſſima ideo in hoc dubio ſtatu mihi videtur medendi regula: morbum initio tanquam inflammatorium tractare, donec ſub progreſſu illius ſigna ſpasmodicæ indolis exſurgant.

NOVEMBRIS.

FEBRES Putridæ benigniores erant quam menſe prægreſſo, nonnullæ continuum decurſum cum periodico commutantes terminabantur. Talis tranſitus memorabilis erat in viro 27 annorum, qui 21mo morbi die ſub incipiente convaleſcentia frigore febrili absque inſequenti æſtu aut cephalalgia corripiebatur. Hoc frigus porrecto licet pulvere corticis peruviani omni hora quatuor diebus continuis redibat, tunc bis quotidie & poſt triduum relapſum ter quotidie idem revenit fri-

 gus.

gus. Hac abnormitate morbi obſervata reliquum ægroti ſtatum curatius perpendi, atque inveni crura maculis lividis prorſus obſita cum rigiditate nonnulla genu ſiniſtri, dentes autem cum gingivis prorſus ſanos; nunc loco alterius medicinæ duo poma citri quotidie conſumenda nec non infuſum trifolii fibrini ægroto præſcripſi; abhinc frigora febrilia ſenſim numero & gravitate decreverunt & quatuordecim diebus ſanus nobis valedixit æger.

Quidam ſedecim diebus inſigni febris putridæ gradu decubuit cum ſtupore enormi, pulſu celeri, debili, urina involuntaria, lingua ſicca maculis petechialibus, alvo aliquatenus naturali. Emeticum & laxantia initio adhibita fuerunt, dein cortex peruvianus & camphora absque decremento ſed potius cum incremento morbi. Hæc occaſio mihi apta videbatur ſeponendi alia remedia & pulverem ſinapi tentandi; hinc pulveris ſinapi anglicani dicti cochleare minus bihorio ægroto noſtro porrexi; mox ardor abdominis inde ortus accuſabatur. Die 17mo ſtupor fere idem, alvus noctu ſemel aperta, lingua humidior, ardor abdominis

dominis gravior. Die 18vo alvus bis liquide aperta, pulſus magis elevatus, ardor abdominis minor. Die 19no ſomnus noctu bonus, alvus ſemel aperta, ardor abdominis adhuc minor, ſtupor notabiliter minutus, lingua fere naturalis, pulſus mollis haud adeo celer, maculæ petechiales evanuerunt, nunc pulverem dedi trihorio adhuc per duos dies, quo morbus magis magisque decrevit; jam vero hanc medicinam adeo nauſeabat & ſumere recuſabat æger, ut ſuperſtitem debilitatem decocto corticis peruviani ſanare coactus fuerim; nemo ſincerus efficaciam pulveris ſinapi in hoc caſu denegare poteſt; hinc eundem in nonnullis aliis ægrotis eodem modo putrida decumbentibus tentavi, verum ſine optato eventu.

Febre puerperali mox poſt partum orta quatriduo laborabat femina 25 annos nata. Totum abdomen doluit, alvus erat ſtricta & pulſus celer tenſus; intra ſeptimum diem per venæſectiones & camphorata dolor acutus ceſſavit; alvus vero reddebatur laxa, lingua aphtoſa, pulſus celer & debilis cum intercurrente vomitu, anxietate, dolore pectoris & artuum vago, expanſione abdominis

 intole-

intolerantia fere omnis ingesti, debilitate magis magisque increscente usque ad 36tum diem morbi, quo subito ex umbilico sponte dilatato pus profluit prima vice ad tres circiter mensuras, septem abhinc diebus continuis largum exprimebatur pus, ultima vice sanguine mixtum. Aperto abdomine defunctæ inter peritonæum & omentum continebatur materia brunna spissa admodum foetida, omentum in toto ambitu nigrum in pelvi cum peritoneo & ubique cum intestinis, a quibus sine laceratione separari nequivit, cohæsit; intestina ipsa etiam muco quodam inter sese agglutinata erant, superficies concava hepatis crusta crassa purulenta obducta erat & cavitas pelvis largum pus spissum continuit.

Febres quartanæ nonnullæ interdum solo pulvere digestivo e cremoris tartari uncia, salis amoniaci uncia dimidia & radicis rhei drachmis duabus composito & trihorio ad cochleare minus exhibito sanabiles; interdum cortex ipse opus erat; quidam 27 annorum quinque hebdomadis quartanam passus post usum digestivi indeque alvum laxatam unciam pulveris radicis gei urbani tribus

inter-

intervallis apyretis continuis adeoque tres uncias hujus pulveris ingerebat, febris autem eodem gradu rediit imo cum adjuncto dolore hypochondrii dextri, ob quem seposito geo repetebatur pulvis salino laxans, indeque post aliquot dies tollebatur dolor, quo facto cortex peruvianus sanabat febrem.

DECEMBRIS.

FEBRES quam plurimæ erant inflammatoriæ indolis pectus invadentes, partim simplices aut catharrales aut mere inflammatoriæ, partim mixtæ cum symptomatibus putridis, ita ut eliminato per emetico-catartica fomite putrido inflammatoria morbi natura evoluta fuerit.

FEBRES intermittentes paucæ; contra quotidianam dimidii anni præmissis digestivis & evacuantibus dedi unciam pulveris gei tempore apyrexiæ fine effectu, illi vero mox substituto cortice febrem fugavi; eundem effectum gei & corticis comperi in quartana decem hebdomadum; apud alterum vero e putrida convalescentem surrexerunt motus febriles leviores quotidie recurrentes, quos pulvis gei abegit.

Dyspnoea enormi suffocationem minante praesertim nocturna cum impedimento somni tumore oedematoso crurum, sputo nullo, pulsu irregulari vir 50 annorum 6 hebdomadis afflictus erat; dum res aegroti ad summas angustias redactae videbantur, mox kermes minerale, mox solutionem gummi ammoniaci cum oxymelle scillitico, mox radicem ipecacuannae porrexi; periculo autem eodem manente pulveris radicis *squillae* grana quatuor eleosachari ferniculi scrupulum ter quaterve indies propinavi, hinc vomitus & vomituritio frequens cum levi diarrhoea citabatur in levamen dyspnoeae; sex autem diebus sub hac medicatione relapsis facies enormiter intumuit erysipelate ubique rubens, singultus etiam accessit; instituta venaesectio sanguinem bonum monstravit, porrecta mixtura camphorata, cujus unciis sex grana tria moschi apposita erant, singultum sensim compescuit; facies detumuit cum desquamatione cuticulae, dyspnoea fere prorsus evanuit, ita ut somnus jam quietissimus redderetur, nihilque sanationi defuit nisi aliqualis tumor extremitatum inferiorum: usu pillularum scilliticarum sensim dissipatus.

Merito

Merito in hoc ægroto hydropem pectoris suspicatus fui; an singultus emesi suscitatus motu frequenti diaphragmatis resorptionem seri in pectore extravasati promoverit? si etiam in hoc desperato casu emeticum utilitatem produxerit; jure tamen quæritur, an in similibus aliis casibus idem faciendum sit periculum? apud alterum ægrotum idem experimentum repetii, sed mors cito subsecuta fuit. Ab ægrotis ideo ipsis determinanda est electio talium remediorum, quorum effectus aut citior mors aut sanatio æque circiter probabilis est.

Partui absoluto in femina 22 annorum mox successit diarrhoea cum dolore abdominis, siti insigni cephalalgia, tussi, singultu; quartus jam morbi dies erat & vena semel secta; dedi emulsionem camphoratam bihorio, 5to die status idem, lochia mixta fluxerunt, vena secta cum sanguine phlogistico, 6to die singultus rarior alvus minus laxa, 7mo somnus bonus, alvus naturalis, singultus cessavit, 9no die sub mammis lacte distentis se sanatam sentiit ægra. Probabile est lac ad intestina directum eorundem dolorem & reliqua symptomata induxisse, illo autem per naturæ beneficium

ad

ad mammas determinato fauste devictum fuisse morbum.

Alteram vero 32 annorum secundo post partum die aggressa fuit febris cum dolore abdominis & lumborum; lochiis suppressis, pulsu celeri tenso, alvoque stricta; sanguinis missio septies repetita, emulsio camphorata, clysmata haud impediverunt, quo minus ægrota 5to morbi die exspiraverit. Aperto abdomine totum omentum inflammatum ejusque inferior pars gangrænosa, *tubæ fallopii* & superficies anterior uteri etiam inflammatæ, in qua uteri parte simul duo abscessus aderant largum pus continentes, cavitas pelvis sero limpido cum innatantibus flocculis purulentis erat impleta.

Dolore dorsi & regionis hepatis cum expansione abdominis alvoque laxa, cui demum tumor oedematosus crurum accessit novem septimanis laboravit vir 40 annorum, indeque necatus fuit. Apertum cadaveris abdomen: serum sanguinlentum fundebat, lobus hepatis dexter costis spuriis accretus erat; in superficie illius convexa præsertim lobi minoris aderant multi abscessus sub inci-

sione

ſione pus ſtillantes, inteſtina tenuia ad diametrum calami ſcriptorii erant coarctata, glandulæ meſenterii & pancreas indurata.

Mictu cruento irregulariter recurrente cum ſtranguria moleſta absque lumbagine, jam duobus annis quinquagenarius afflictus erat; cremor tartari initio exhibitus fuit, unde urina largior reddebatur, interdum limpida, interdum cum ſedimento albo quaſi calcareo, interdum cum fruſtis condenſati ſanguinis, interdum tenui ſanguine mixta; dolor ſimul perinæi & regionis hypogaſtricæ accuſabatur, nullus vero per catheterem calculus indagari potuit, nunc tentabantur eſſentia corticis cum ſpiritu vitrioli, mixtura compoſita ex aqua petroſelini, ſucco citri, oleo olivarum, dein pulvis foliorum uuæ urſi, aqua calcis pro uſu interno & injectione in veſicam, omnia vero incaſſum, ſymptomata enim permanebant & increſcebant cum diureſi, mox libera mox impedita mox prorſus involuntaria, dolore veſicæ gravativo aut ſenſu excoriationis, imprimis ſub mictu impedito & ante proventum grumoſi ſanguinis, tumore oedematoſo corporis vario copiæ miſſæ urinæ reſpondente;

verſus

versus finem urina valde sanguinea cum sedimento purulento admodum foetido reddebatur cum continuo mingendi stimulo, incrementoque tumoris hydropici, quibus ultimo triduo somnus lethargicus in mortem terminatus jungebatur, postquam trimestri spatio hasce miserias in nosocomio passus fuerat æger.

In cranio demortui sc. inter piam matrem & cerebrum ejusque anfractibus, & *ventriculis* lateralibus atque basi cranii multum aderat serum extravasatum. In abdomine hepar erat enormis magnitudinis, pancreas induratum, uterque ren naturali mensura duplo major, intus ulcera multa cum materia purulenta continebat; vesica urinaria parva, dura, crassis, callosis membranis composita, superficiem internam ubique habuit exulceratam cum vasis sanguineis magnis varicosis simulque pus multum spissum continuit; prostata solito major etiam sub incisione materiem purulentam effudit.

XXII.

XXII.

AD EPIDEMIAM MORBILLOSAM HAUNIÆ CIRCA PRIMUM ANNI 1781. QUADRANTEM GRASSANTEM ANNOTATA MEDICO-PRACTICA

JOHAN. WILHELMI GULBRAND,

M. D. Archiatri Regii, Societatis p. t. Præsid.

Accipite Commilitones summam eorum, quæ apud ducentos fere ægros, sæviente circa initium hujus anni epidemia morbillosa correptos, observavi vobisque & posteris haud indigna judicavi: Accipite inquam hæc currente calamo, & absque ulla dictionis elegantia consignata literis, quæ sequuntur.

Dimidia ægrotantium pars, & major, adulti erant, ad minimum, vigesimum egressi fuerant annum: Et ex his plurimæ sexus sequioris erant: Coeterum epidemia nil fere ab ista, quam descripsit Cel Rosensteinius Holmiæ grassantem, alieni præbuit.

præbuit. Vexabantur primis diebus plurimi tussi sicca singulari, vomitu, dolore dentium, tumore & rubore gingivarum, lassitudine, rubore dolore & stillicidio seri acrioris oculorum.

Non pauci adultorum sub efflorescentia macularum salivationem spontaneam copiosam satis passi sunt: Reliquis diarrhoea, aliis sudor largissimus obvenit: His nulla vel parva admodum accessit desquamatio furfuracea solita epidermidis. Decumbentium nemo in primo morbi stadio venam secuit: Unicum vidi, eumque obesioris habitus, qui ultimis ante emptos morbillos octo diebus, dietæ indugebat lautæ, opiparæ; tussi molestatus sicca, vehementi, clangosa, sexies venam curaverat his diebus sectam, absque tamen levamine: Nec extractus sanguis ulla monstravit inflammationis signa: Demum post sumtum laxans copiosissimi per totum corpus effloruerunt morbilli coloris obscure rubescentis: Usus est sub morbo temperantibus acidiusculis, & convaluit: Maculæ autem ultra 14 dies post fugatum morbum perstiterunt.

Notavi

Notavi hanc obſervationem bene memor moniti Cell. Rosensteinii, qui l. c. ſuos inquit morbilloſos omnes ſanguinem monſtraſſe cuti inflammatoria tectum, & futuris diebus ſolvendam linquit quæſtionem: *Utrum inflammatoria ſanguinis craſis in omnibus adſit morbillorum ſpeciebus?*

Duæ foeminæ, annoſior altera, altera undeviginti annos nata graviter decumbebant, ambæ ſymptomatibus morbillorum correptæ: Maculæ liveſcebant ab initio, & ſolito longiores ſubſiſtebant: His ſuperveniebat poſtea ſalivatio ſpontanea & larga, deinde diarrhoea ac deſquamatio furfuracea larga: Reſtitutæ ſunt per Decoctum Cort. Peruv. Emulſionem communem Falleri loco potus ordinarii hauſtam & rheum ad drachm. dimidiam pro neceſſitate vicibus repetitis ſumptum. Ægrotantium reliqui, quotquot nempe a Diarrhoea immunes fuerunt, morbillos pulchre debellarunt uſu aſſiduo mixturæ ex aquæ deſtill. meliſſæ ʒviij. Spiritus Mindereri ℥i. Pulver. Nitri depurati ʒi & Syrupi Diacodii ℥i mixtis, una cum calore temperato cubiculi & lecti & potu di-

luente, mucilaginoſo, tepido: Iis, quos unacum morbillis vomitus & diarrhoea corripuerunt, loco dictæ mixturæ Emulſionis commnnis Fuller. ℥xvi. præſcripſi additis Pulver. Nitri puri ʒi. & Camphoræ ℈j. & pro ratione ætatis & ſymptomatum rheum interpoſui. Sic omnes Deo duce, auſpice Hygæa, incolumes ſervavi. Fugatis febre & efflorescentia per duas ſeptimanas adhibuerunt omnes Tinctur. rhei aquoſ. part. iij. Liquor. anod. min. H. part. j. Liquor. Terræ foliat. Tartari part. ij. mixtas & pro differenti ætate a gtt. 40 ad 100 ter guaterve indies hauſtas. Foeminæ initio morbi menſtruatæ, ſuperato morbo ſolita citiorem menſtruationem paſſæ ſunt, eamque largam. Decumbentium quidam ſeſe morbillos antehoc paſſos eſſe affirmarunt, bene memores viſorum olim ſymptomatum: Et cur ni fides habeatur huic relationi? Diſſentiunt in hoc quoque ſcriptores Medici: Kleinius atque Hartmannus affirmant reditum morbillorum, quem negant Rosensteinius, aliique.

Decu-

DECUBUERUNT in uno eodemque cubiculo, quin imo in eodem lecto, ejusdem familiæ liberi complures, quorum alii morbillos passi sunt, dum reliqui a contagio immunes ad hunc usque diem vixerunt.

XXIII.

OBSERVATIONES PRACTICÆ

URBANI BRUN AASKOW,

M. D. Archiat. Regii, Societ. Membri Ordinarii.

OBSERVATIO I.

SOLUTIONEM Gummi Guaiaci in ſpiritu ſacchari jam tribus vernis menſibus per triennium hauſit vir antea podagra graviſſime quotannis laborans. Paroxysmus nunc levior vix tot durat per dies, quot antehac cruciabat hebdomadibus; optima ceterum gaudet ſanitate vir.

ALIUS ſenex lumbagine arthritica diu afflictus, ita ut incurvatus vix incedere valuerit, eadem adhibita ſolutione levatus jam eſt.

ALIUS aſtmate a materia arthritica laborans noſtro hoc remedio inſigniter levatus.

OBSERVATIO II.

INUNGENDO abdomen linimento mercuriali haud paucos ſanavi, qui obſtructionibus graviter ac diu labora-

laboraverant internis, resolventibus decantatissimis antea absque ullo effectu adhibitis. Inunctionem præscripsi continuandam usque ad apparitionem solitorum incipientis salivationis signorum. Decoctum simul præscripsi radicis graminis, atque Tincturam Rhei aquosam cum liquore terræ foliatæ Tartari.

OBSERVATIO III.

GRAVIDA, postquam sub prima graviditate lapsu uterum læserat, ita ut abortum fuerit passa mense gestationis sexto, ter jam deinde conceperat; mense autem grauiditatis septimo ob dolores in loco antehac læso semper abortivit. Præsenti anno iterum gravida fuit mulier; sed repetitis venæsectionibus, decubitu in lecto ab initio sexti mensis, inunctionibus oleosis emollientibus ad locum antea læsum & jam valde dolentem, diæta tenuissima humectante, & opiatis sat large sumtis, simul ac dolores graviores infestarunt, id effeci, ut, doloribus licet inde a medio sexti gestationis mensis in dicto loco satis graviter affligentibus & ad finem usque octavi mensis recurrentibus, hi

tamen priores haud produxerint effectus, sed octavo graviditatis mense decreverint sensim, adeo ut extra lectum potuerit versari gravida, prolemque sanam, exacto justo gestationis tempore, sit enixa.

Observatio IV.

Mirum vidi laxantium in doloribus febrique puerperali effectum. Vel Rheum cum sale medio, vel Folia Sennæ in infuso vel aqua laxativa, *Viennensis* dicta, amaro nupta carthartico sale porrigebatur donec largi ac multi sequebantur secessus; post singulam alvi exonerationem insigniter levabantur ægrotæ: Denuo increscentes vel redeuntes dolores iteratum removebat laxans, & brevi tempore hac ratione tollebatur morbus, *qui alia* sub medicatione semper diu adeo durat ac sæpe trucidat. Quod si simul nimis durus erat pulsus, venæsectiones quoque in usum trahebantur, quæ nunquam tantum ac laxantia præstitere effectum.

Ratio hujus methodi satis patet, si doloris causam agnoscimus scybala multa indurata, quibus intestinum cæcum sub gestatione infarctum

fuerit

fuerit ob compreſſionem diuturnam inteſtinorum craſſorum ab utero gravido.

Ita mihi ſæpe ac fere ſemper obſervare contigit; Immo morbum noſtrum & ab aliis & a me venæſectionibus, multis camphoratis, remediisque antiphlogiſticis tentatum ſæpius vidi, absque tamen ut dolor vel febris remiſerint, antequam vel ſponte vel arte copioſe evacuata fuerit alvus, ſcybalaque dura, nigra, aduſta quaſi, dejecta. Dolorem nos fere ſemper obſervavimus in hypochondrio & ilio dextro ad marginem quaſi ilei oſſis, ubi ſitum eſt Coecum.

Patet hinc quantum lenia laxantia & eccoprotica ſub finem geſtationis proſint, licet non ſemper duriora e coeco his educi poſſint ſcybala. Nunquam non dicta gravidis præſcribo remedia, nunquam non utrum ſoluta debite fuerit alvus inquiro, ſæpe tamen obſtupui videndo, quanta dura ſub puerperio prodiere ſcybala.

Observatio V.

Crusta lactea frigore retropreſſa carum noſtrum primogenitum trucidavit filium convulſionibus

 obortis:

obortis: Secto abdomine magnæ conſpiciebantur & induratæ meſenterii glandulæ. Plures tum ante tum poſtea lugubres vidi ſequelas cruſtæ retropulſæ lacteæ matribus æque ac nutricibus foedæ viſæ ac ingratæ, quam, dicant licet deque periculo clamitent medici, naturæ nunquam committendam putant, ſed annilia clam remedia, ſæpe ſaturnina, adhibent. Ita proxime trucidatum vidi puerulum antea ſaniſſimum, a parentibus ſanis æque ac illuſtribus genitum. Cruſtam lacteam oleoſis nimis inunxerat nutrix; materia hinc ad pulmones perlata, peripneumoniæ & convulſionibus ſuccubuit infans.

Ita nuper quoque alia in nobili familia infantem vidi ſaniſſimum, lacteam modo exceperis cruſtam faciem defoedantem, cui pro ſolito noſtro more præſcripſimus fotus e lacte tepido vel tenui avenæ decocto, & pulveres abſorbentes cum rheo & antimonio diaphoretico. Optime valuit infans, donec me, omnibusque inſciis, ceruſſæ pulvere faciem conſperſerat nutrix, tunc autem intra paucos dies convulſus periit infans. Aperto abdomine magnæ conſpiciebantur & induratæ meſenterii

ſenterii glandulæ omnes: In poſteriori pulmonis dextri ac in dextra quoque & poſteriori diaphragmatis parte, ac convexa & poſteriori hepatis ſignum aderat inflammationis. Reliqua ſana.

Observatio VI.

Nuper vidi *morbum* illum *maculoſum*, quem poſt Cel. Werlhofium deſcripſit amiciſſimus noſter Collega, Cel. Gulbrand. Ancilla nempe 30 annos nata, macilenta, pallida, valetudinaria, ante aliquod tempus hæmorrhagiam uteri vel potius nimium catameniorum fluxum paſſa, ſub finem Februarii menſis anni currentis de nimiis menſtruis indeque orta debilitate queritur. Præſcripſi mixturam ex Eſſentia cortic. auranticrum cum ſpiritu vitrioli, poſt paucos dies menſtrua ceſſabant: Poſt 14 dies iterum queritur hæmorrhagiam uteri per aliquot dies adfuiſſe cum dolore lumborum & abdominis; appetitus ſimul erat dejectus, lingua ſordida, foedus oris ſapor, vomituritio, maculæ ex rubro brunnæ undique toto in corpore, excepta facie, & adhuc aliæ in brachiis & pedibus lividæ ac latæ ſcorbuticarum inſtar, conſpiciebantur;

 pulſus


pulsus debilis, versus vesperam plerumque concitatior cum calore; noctes inquietæ, insomnes. Die 16 Martii solutionem præscripsi tartari emetici, qua ανω και κατω purgata fuit ægra cum levamine. Die 17 Mart. status idem. Ingravescente autem dein hæmorrhagia præscripsi pulverem cremoris Tartari ℥i cum Ipecacoanhæ gr. viij omni bihorio ad ʒß sumendum, mixtura antedicta non seposita. Die 20 Martii. Status perdurat idem, hinc pulverem ordinavi e corticis peruviani & aurantiorum ana ℥i Aluminis crudi ʒß, omni bihorio alternatim cum mixtura sumendum. Pulvis autem vomitum ciebat, hinc, eundem seponendum jussi. Die 22 Martii ordinavi, ut mixturam cum spiritu vitrioli, unde primis diebus ʒi hauserat ægra, jam sumeret ad ℥ß usque per diem. Hæmorrhagia hinc imminuebatur, quæ antea largissima adfuerat; mox vero iterum recruduit. Versus meridiem sequentis diei accessit larga hæmorrhagia narium cum insigni præcordiorum anxietate: Omnis potus frigidus porrigebatur, & præter jusculum ex avena vel Sago nil ingerebat: Nuchæ applicabatur linteum aqua fri-

gida

gida humidum; aceto & aqua frigida fovebatur abdomen & lavabantur manus & brachia. Die 24 Mart. narium cessavit hæmorrhagia, valde autem debilis fuit ægra cum visus & auditus imminutione. Jam decoctum saturatum corticis peruviani cum Elixir vitrioli omni bihorio alternatim cum mixtura acida supra nominata sumebat. Die 25 nox prægressa melior, somnus aliqualis, pulsus hodie magis elevatus, hæmorrhagia minor, sed alvus per aliquot jam dies adstricta erat. Propinavi pulverem Rhei ad ℨß vesperi & mane sumendum; nullus inde effectus, hinc vespera diei 26 Martii clysma ordinavi cum effectu. Die 27 Martii nox iterum melior, hæmorrhagia minor; calorem singularem in partibus urentem internis, præsertim capite queritur ægra; maculæ parvæ purpureæ fere evanuerant, lividæ vero latiores erant factæ. Foetorem singularem cadaverosum spirabat ægra. Die 28 post prægressam anxietatem multum sanguinis e naribus & ore profluit, qui patella exceptus mox coagulum constituebat, foetor gravior: Solam jam præscripsi mixturam cum spiritu vitrioli, quam copiose ingerebat

gerebat

gerebat ægra. Die 29 Hæmorrhagia narium cessavit. Versus meridiem, apoplectico quasi per horam corripiebatur ægra insultu, quam immobilitas & insensilitas brachii & cruris sinistri sequebatur. Die 30 Martii valde debilis sæpius deliquium patiebatur ægra. Liquorem ordinavi nervinum alternatim cum mixtura acida hauriendam; Foetor gravis perstat, alvus obstructa, quam movere impediebat magna debilitas. Die 1 Aprilis heri & hodie sanguis haud fluxit, sed subdelirat debilissima & difficillime deglutire valet; pulsus quam maxime exilis. Die 2 recruduit hæmorrhagia per os, nares & uterum; sanguis non dissolutus. Mixturam adhuc hausit acidam, sed rarius ob difficilem deglutitionem. Die 3 April. nocte prægressa convellebatur ægra, & insequente moriebatur.



XXIV.

XXIV.

COLICÆ LACTENTIUM CURA,

A

RUDOLPHO BUCHHAVE,

M. D. Soc. Membr. Ord.

PRÆVISA & inevitabili morte liberasse mortales jucundissimum in medica arte est negotium. Gaudium, quod inde genuinus persentit medicus, multas & acerbas longe exsuperat animi inquietudines, quas dolores ægrorum luctus & querimoniæ alias præbent.

INTER eos, ruinam incolarum maximam certamque necem minantes, morbos, primum sibi vindicat locum eclampsia infantilis, summamque meretur animi attentionem. Acerbe sæpe dolui, neglectos infantes, matura certissime cura sanitati restituendos, adhibita justo serius medicina, morte eximere me non potuisse; sæpius vero e contrario gaudio perfusus sum maximo, causas hujus mali mature removendo, misellos orci faucibus eripuisse, vitamque iis conservasse.

HÆC

Hæc affectio omnium, primo infantili anno accedentium, ægritudinum pessima est, maximeque lethalis. Numerus hoc morbo exanimatorum fidem pene excederet, ni annui mortuorum id docerent catalogi. Probant hi, unam quartam, immo tertiam, & interdum prope dimidiam neonatorum partem quovis anno vitam cum morte commutare. Celeb. Süssmilch calculum suum dicto addidit, in computationibus suis inveniens, unam quartam partem morbo epileptico communissime mori, sive, quod eodem redit, e centum millibus natorum primo nativitatis anno occumbere viginti quinque millia (*) Eodem auctore evictum est, numerum infantum, eclampsia mortuorum, quotannis Londini auctum ita fuisse, ut denuo ad unam tertiam natorum partem ascenderit. Idem Hauniæ fieri nemo inficias ibit, cui curæ cordique fuit calculos ponere.

His serio pensatis nemini non patet, patriam quotannis crudeli hac neonatorum peste haud parvam incolarum futurorum pati jacturam; necem si addas,

(*) Göttliche Ordnung des Menschen-Geschlechts. Erster Theil §. 266.

addas, quam infert variola & interdum rubeola, minimam natorum partem adultam attingere ætatem, videbis. Rectiſſime igitur Süssmilch, de fato hoc tenellorum conquerens, *optandum ſane*, inquit, *ut dimidia epileptico morbo morientium pars ſalvaretur, quanta præmia, qualesque ſtatuæ liberatori decernendæ!* Porro interrogat: *Num demonſtrari poteſt impoſſibilitas huic morbo a tenellis avertendo remedium inveniendi?* Remedia ſane infallibilia jam dudum ſunt inventa, & publicata; reſtat ſolummodo, ut uſus eorum incolis, inferioris inprimis ſortis, communior fiat. Si inſtitutione debita de morbi periculo, & remediorum contra hunc efficacia imbutæ eſſent, ad hanc rem plurimum facerent obſtetrices; ſi matres præterea, omnibus rejectis anilibus præjudiciis, modo perdiſcerent, quæ a medicis, huc ſpectantia, litteris ſunt mandata; vel ſi, natura ductrice, natorum ſemper anxiæ tempeſtivum quærerent conſilium medicorum, antequam morbus altiores egiſſet radices, maximam, ſi non omnem, ſane letho abſolutam fore infantum vim, alias certo certius interituram, mihi perſuaſiſſimum eſt.

TOT

Tot funera lugente patria, causas stragem edentes paucis percurrere, & deinde eam, qua, ut efficacissima in hoc, inprimis pertinaci, morbo curando, usus sum methodo, indicare, atque luculentius, usque eo praxis me docuit, proponere, operæ pretium duxi, quo ad morbi, omni animi attentione dignissimi, curam felicius instituendam omnes artis peritos excitarem.

Cum eclampsia utplurimum dolores intestinorum vehementissimos excipiat, colicam *lactentium* ut præcipuam futuræ eclampsiæ causam semper consideravi, qua sublata, etiam præpeditur eclampsiæ paroxysmus; ad hanc igitur colicam præcipue attendendum est.

Colica lactentium a primo nativitatis momento initium ducit, neglecta inprimis meconii tenacis evacuatione, aut denegato lacte solvente & laxante materno. Ingestis deinde alimentis, primis post nativitatem diebus primi & nervis sensibilissimis insoliti oboriuntur leviores dolores colici, initio quidem vagi, noctu tamen acerbiores; foeces aut colore nigricante meconii tinctæ prodeunt, aut colore quidem flavo, relictis tamen

semper

ſemper in ſiccis linamentis maculis dilute vel obſcure viridibus, aut tandem ſtriis viridibus inſtructæ. Accedunt fletus ſine alia cognita cauſa reiterati, vomitus & ſingultus, riſus, & pavores ſub ſomno. Hic primus & levior colicæ gradus, inſequendum majorem & periculi pleniorem minans; increſcentibus enim mali cauſis, ſenſim viridiora dejiciuntur excrementa, ita ut tandem viridi æri aſſimilentur, & linamenta gramineo tingant colore; muſculi flaccidi, debiles; facies lurida, pallida evadunt; macies, ſudor acidus, febris, ſitis, pervigilia, fletus & clamores concomitantur. Qui maximus & ſecundus morbi gradus vitium acre, colicam inferens, in primis adeſſe viis, aperte loquitur, quod, auctis & iteratis torminibus, debilitata corporis machina, eclampſiam, mortis utplurimum prænunciam, concitat.

Seminia naturalia, his ſymptomatibus excitandis apta, in ſolidorum laxitate, & nervorum irritabilitate, huic ætati propriis, latent. Potentias nocentes præbent meconium retentum; lac matris vel nutricis impurum, acre; idem nutricis nimis caſeoſum, vel, licet bonum, juſto copio-

ſius datum; lac acidulum & farinacea cruda affatim ingeſta.

Hæ cauſæ procatarcticæ proegumenis junctæ tot ſubminiſtrant fontes acido primarum viarum generando, quot cauſæ ad idem producendum concurrant. Acrimoniam hanc acidam, ut unicam & principalem ſemper credidi cauſam omnium, neonatos miſere affligentium, malorum, atque inde inſequentis eclampſiæ & lethi. Taceo caſus illos, ubi eclampſia vel a *matris* excandeſcentia, vel alio vitio oriatur, quoniam hæc iſta rarius occurrit. Multoties auxilium miſellis epilepticis gratia ferendi ſum vocatus, ſed dolui plerumque me e periculo & faucibus orci eos eripere non valuiſſe, quoniam longa nimis mora in toto corpore perdendo cauſis fuit permiſſa. Inde experiundo didiſci, eclampſiam facilius avertere, quam mederi nos poſſe, feramque ſoepius fallere medicinam, ſi principiis non obſtemus, primasque negligamus tenellorum inquietudines, quæ, ruinam eorum parari, aperte ſatis monent.

Quod ad colicæ lactentium curationem attinet: In primo & leviori ægritudinis gradu abſor-

bentia

bentia commendavit antiquitas, quæ utiliter sane se sæpe præstiterunt, postquam primæ viæ, ut mos est, bene sunt purgatæ. Damnosa vero obstetricum ars, ab atavis hæreditate quasi consecuta, oleosa, intestina debilitantia, & saccharata, acidum ventriculi augentia, officiose intulit; nec desunt etiam novissimorum quidam practicorum, qui talia adhortantur & præscribunt. Dictis omnibus autem præcellit pulvis infantum sine Rheo Dispens. Dan. præcipue si nutrix simul pulvere galactipoeo utitur, & morbi contumaciæ conveniens porrigatur dosis.

In secundo dictæ affectionis gradu, nescio qua ratione, absorbentia, mucilaginosa, oleosa, decoctum oryzæ, theriacam, & plura hujus faraginis remedia practici etiam hodierni excogitarunt, literisque mandarunt, quæ omnia malum non corrigunt, minimeque auferunt, sed statum miserandum pejorem reddunt.

Quidam vero illustrium Medicorum, chemica imbuti scientia, feliciori ave meliora & rei convenientiora indicavere pharmaca. Sic Hoffmannus usum pulverum absorbentium, oleo tar-

tari per deliquium imbibitorum, addita æquali portione rhei, laudavit. Sic BOERHAVIUS, inprimis ejus commentator SWIETENIUS, salis alcalini acrimoniam metuens, bilem animalium, ovi vitellum & saponem commendavit. Sic emulsionem, cui parva salis alcalini fixi portio fuit immixta sapientissime proposuit ROSENSTEINIUS, & ad hoc nutricibus rusticanis, lacte acido viventibus, aquam præscripsit alcalinam, *sed valde dilutam*, quibus remediis magnam neonatorum copiam ex orci faucibus certo certius ereptam fuisse, nemo inficias ibit, qui vim alcalinorum hoc in casu expertus est.

CUM vero multis in ægris hæc pharmaca, etiam copiosius oblata, vel inconstantem, vel parvum, vel nullum edere effectum persensi, *quod* in iis plerumque casubus factum est, ubi artificiali modo infantes sunt enutriti, vel inepta nutrix non erat commutanda, vel mater valetudinaria caro admovere nato ubera exoptavit, vel infans teneræ erat compagis, adeoque difficilis digestionis. Quarum circumstantiarum præsentia soepe usu venit, ut æruginosum foecum colorem nec in

flavum

flavum convertere, ideoque nec colicam & ejulatus concomitantes sistere vel reprimere valuerim. Hinc in angustias quasi adductus, hostem cognitum non nisi larga remedii dosi debellandum, eaque, consilio inito, superandum putavi.

Dosis salis tartari, a ROSENSTEINIO praescripta, vix ad unam quartam grani partem accedit, quae portiuncula, nisi saepissime repetita, acidum ventriculi & tubi intestinalis domare non valuit; hujus igitur salis dosin adaugere fui coactus: quo metam exoptatam eo citius attingerem, atque curationem perficerem, emulsionem composui, cujus librae dimidiae semunciam salis tartari adjunxi, ex qua guttas 20, sive quantum cochleare parvum capiat infanti porrigere jussi bis, ter vel quater quotidie, prout malum urgeret; pari modo nutrici, ut totidem semunciam caperet, mandavi. In desperatissimo casu hanc salis portionem ad drachmas sex augens, eidem emulsionis portioni admuscui, dicto modo ingurgitandae. Egenos qui impensa remediorum expedire non valuere, mixturam hanc alcaninam cum aqua simplici parare docui.

Hac pharmaci dosi, qua infans omni vice tria ad quatuor salis tartari grana, & nutrix scrupulum unum ad drachmam dimidiam deglutiverit, ita profeci, ut tormina ventris, luctus, & inquietudines inde oriundas, brevi feliciterque composuerim; dejectiones alvinas, sponte utplurimum protrusas, ita mutatas vidi, ut, si non eodem die, attamen die postero, æruginoso colore exuto, flavedinem naturalem induerint, talique methodo hostem, tantorum malorum auctorem soepius intra aliquot dies devici atque depuli.

Malo iterum iterumque recurrente ad causas attente respexi, quas, sive in nutrice, sive in diæta residere deprehensæ sint, quam ocissime, quantum potui, removere conatus sum, ne longa nimis & tædiosa curatione parvulos lacesserem. Diæta carnea a nutrice instituta est.

Remanente tunc, ut soepe usu veniat, cum pallore faciei & labiorum, primarum viarum debilitate, & inde orta mala digestione, qua caseosa cum dejectis commixta fuere, ad saponacea, roborantia, & digestionem promoventia, adhortante Boerhavio, confugi. Remedium, quo his sub

circum-

circumſtantiis uſus ſum, rachitidi oppoſuit inter alia ROSENSTEINIUS, nempe pilulas ex offæ Helmontii partibus IX, fellis bovini parte una, & radicis ari q. ſ. mixtis, compoſitas, & ad gr. II formatas. Harum duas bis vel ter, in aqua foeniculi vel lacte ſolutas quotidie exhiberi juſſi, qua medicina, bilis, tunc temporis inertis, vice fungente, vires tenellorum mire increvere; digeſtionem enim inde optime peragi, & ruborem labiorum ac genarum poſtea naſci, ſanguinis bonam craſin; ſimulque remedii demiſſionem indicantem, nunquam non vidi.

DIUTURNITATE & mali vehementia ita turbata tenellorum corporis machina, ut eclampſia inde nata fuerit, incerti ſæpius eventus erit curatio; attamen dictorum pharmacorum ope eo rem interdum perduxi, ut paroxyſmi certo certius redituri inſultum averterim.

METHODO indicata morbi periculum brevi averuncavi, vel ad minimum detinui, donec neceſſariæ factæ ſint cum nutrice, vel ejuſdem diæta commutationes, & ſi bona nutrix non erat obtinenda, ad educationem infantis artificialem ad-

hortatus sum, vitamque misselli, alias neci tradendam, sæpissime conservavi, nullumque habui unquam ægrotum, cui hæc medicina fuit applicata, quem non a periculi plenæ eclampsiæ insultu, prima hujus colicæ signa præpediendo, liberavi, imo tempore dentitionis, roborato antea corpore, acidoque intestinorum correcto, nulla unquam a me visa sunt convulsionis, multoque minus eclampsiæ signa, quæ multos sæpenumero vita privarunt; nam corpora, meæ curationi concredita, non ita fuere debilitata, ac illorum, quos convulsionibus necari mihi videre datum fuit.

Herpes Lactentium.

Ad affectiones infantiles exanthematicas pertinet morbi species, ad cachexias, & quidem ad impetigenes referenda, sed ab auctoribus systematicis, quantum novi, nondum determinata, nec descripta, quod mirandum, cum tamen non rara obviam veniat, & adulta tenellos misere affligat.

Erumpunt in facie, collo, vel alia corporis parte, nulla excepta, excrescentiæ gregales, parvæ, elevatæ, rubræ, sensim augmentatæ laticem


cem

cem acrem, cutim inflammantem vicinam, & cruſtas formantem, prurientes. In corporis trunco affatim eruptæ, tum ob pruritum & cutis exulceratæ dolorem, tum ob indufii, mediantibus excreſcentiarum cruſtis, corpori agglutinati adhæſionem, magnam miſellis excitant torturam, vagitumque diuturnum. *Herpetis lactentium* nomine morbum ſalutavi.

Principia morbi in acido quæras primarum viarum, non ſufficienter alcalinis ſaturato pharmacis vel prorſus, nulla vel inerti adhibita medicina, poſthabito & neglecto, atque ſenſim in maſſam ſanguineam ſubdole irrepto, ubi auctum per ſpiracula cutis venenum expellit natura.

In curatione rite præſtanda vana & inutilia animadverti plurima, quædam etiam periculoſa. Aliorum exemplo edoctus morbum vidi ſub uſu laxantium & decoctorum, ſanguinem purificantium, a nutrice hauſtorum, vires cepiſſe, ægrumque, malo accumulato, necaſſe; vidi balnea fruſtra inſtituta, immo linimentum ſulphureum, inepte cuti inunctum, eclampſiam & mortem inopinato intuliſſe.

Alcali fixum, ut infallibilem medicinam, fida præeunte experientia, non possum non prædicare. Hoc eo, quem supra nuper laudavi, modo & infanti & nutrici propinavi, locisque nimio exulceratis ungvento, quod axungiæ porcinæ uncia una, & mercurii præcipitati albi drachma una ingreditur, semel quotidie leniter attactis, morbum pharmaco brevi victas dedisse manus, ægrumque dolorum acerborum tortura absolutum, nunquam non lætus vidi.



XXV.

XXV.

OBSERVATIONES MEDICO-PRACTICÆ.

COLLECTÆ

AB

ANDREA BROEBERG RANÖE,

M. D. & Societatis Membro Ordinario.

I.

HERPES PUSTULOSUS.

Inter affectus morbosos qui toties patientiam medentis æque ac ægrotantis fatigant haud infimum locum obtinent vitia cutanea, & inter hæc vix ullum herpete pertinacius & tædiosius occurrit. Exstirpationem vero hujus mali, me judice, sæpe numero tam difficilem reddit opinio præconcepta, qua duce, in affectibus cutaneis, tantilli etiam momenti, fons & origo mali in humoribus

jam

jam illa jam hac acrimonia contaminatis quærenda sint. Hinc tot frustra propinantur antacida & antalcalina, tot Sanguinem depurantia, tot omnis generis evacuantia & derivantia, hinc, ægrorum damno, justa negligitur munditiei cutis ac perspirationis insensibilis ratio, hinc etiam in casu jamjam proponendo pertinacia & incrementum mali, depuratæ cuti & perspirationi restitutæ cedentis, petenda.

Per integrum & quod excurrerat annum, virginem sedecim annorum, ceteroquin sanitate omnibus numeris absoluta gaudentem, vexaverat herpes, a pustulis solitariis magnitudine pisi passim in brachiis erumpentibus incipiens. Concidentes absque suppuratione post aliquot dies hæ pustulæ colorem brunnum induebant, & sese indies paulatim diffundebant, donec plures sibi invicem attingentes confluebant & areas, quodammodo circulares, acute pungentes & valde pruriginosas constituebant. Varia ad hanc efflorescentiam abigendam interea porrecta remedia nihil proderant: indies ingravescebat malum, ita ut mense Novembri anni proxime elapsi, cum ego

vocatus

vocatus fui, per totum corpus dispersa esset ingens papularum dictarum, initio brachia tantum occupantium, caterva, & varia loca, imprimis cubitum utriusque brachii, tegeret crusta flava densa, cum subjacente cute exulcerata. Præscripsi tum resolventia, antimonialia, Electuarium Mundificans, ac Infusum radicis ligni Sasafras, & his per duas hebdomades absque omni emolumento adhibitis, balneum tepidum commendavi, cui vix bis vel ter universum corpus immiserat ægra, antequam summam inde percipiebat utilitatem, cessabat pruritus, decrescebant papulæ, decidebant crustæ, & post mensem, quo Balneum sedulo repetitum fuit, disparuit penitus efflorescentia molestissima, jamque cutis nitore naturali gaudet ægrota.

II.

EXPERIMENTA
CUM
RADICE GEI URBANI
S. CARYOPHYLLATÆ.

QUAMPRIMUM clarissimus Dr. BUCHHAVE experimenta sua cum radice Gei urbani f. caryophyllatæ,

tanquam

tanquam ſuccedaneo corticis peruviani publici juris feciſſet, mihi opportunam occaſionem, remedii tam egregii, vires tentandi exoptavi. Hujusque voti plus ſimplici vice compos factus experimenta cum dicta radice a me inſtituta breviter recenſebo. Succeſſum tentaminum caſus ipſi docebunt.

Prima itaque vice hanc radicem porrexi foeminæ juniori hyſtericæ, cui, poſt varia Symptomatica hyſterica ſolitis antihyſtericis debellata, reſtabat dolor pectoris cum ſenſu roſionis in Epigaſtrio & gobulo faucium. Radicis pulveriſatæ dimidiam drachmam bihorio ſumſit ægra, initio ſine omni leuamine, at elapſis tribus diebus remittebant paulatim Symtomata, duobus tandem unciis pulveris conſumtis penitus evaneſcentia.

Per annum fere integrum bene valuit hæc foemina, at redeuntibus iſto elapſo tempore iisdem Symptomatibus idem oppoſui remedium, eundem effectum iterum ab eo præſtandum eſſe ſperans, at fruſtra, duæ hujus medicaminis unciæ dicto modo propinatæ nihil leuaminis attulerunt, morbum vero fugavit multo minor corticis peruviani portio.

Secun-

Secundum experimentum inſtitui in foemina quinquagenaria, Cephalalgia periodica, quotidie poſt meridiem recurrente, vexata. Præmiſſo laxante radicem caryophyllatæ dicto modo exhibui & duabus ejusdem unciis tandem ceſſit cephalalgia.

In tertio & quarto experimento ſpem fefellit remedium laudatum licet larga doſi & ſtrenue adhibitum. Sumſerunt nempe Juvenes duo tertiana ſimplici laborantes, poſt emeticum & digeſtiva per aliquot dies adhibita, per duas integras ſeptimanas, horis extra paroxysmos alternis, dimidiam radicis Gei drachmam, at nullum inde hauſerunt emolumentum. Videbantur quidem paroxysmi interdum mitiores & breviores, at fallaces hæ tantum erant induciæ, gravius ſemper invadebant ſequentes paroxysmi, cortice peruviano dein fracti & debellati. Præterea in altero horum ægrorum, ſub uſu radicis Gei, obſtipatio alvi, ad eccoprotica ſolita rebellis, oriebatur.

Majorem efficaciam poſtea monſtravit hæc radix in puella quotidiana febre cum ſolitis Symptomatibus infeſtata. Initio hæc febris tertiana fuerat & porrectis digeſtivis in quotidianam abierat,

rat, quam primum vero radicem caryophyllatæ per unicum diem dicto modo sumserat ægra, pristinam faciem induebat febris, alternis diebus tantum ingruens & paulatim dein brevi satis evanescens.

Nec minus pulcrum in sequenti casu præstitit effectum Decoctum radicis laudatæ: Rure degens Juvenis corripitur pleuritide vehementi, quæ licet minus rite tractata quodammodo tamen cedit. Æger se convalescere sentiens Hauniam petit, sub itinere vero longo, continua expositus pluvia, novam contrahit inflammationem pectoris, quam Venæsectiones & reliqua methodus antiphlogistica minuunt quidem, at restat febricula, jam mane jam vesperi accedens, cum ardore manuum, rosis genarum, decremento virium & carnis, tussi cum expectorato mucoso, tenui, haud largo ac orthopnoea sub motu. In hoc statu Infusum pectorale & Decoctum radicis Gei ad cochleare majus bihorio sumendum præscribo, & tantum inde fructum haurit æger, ut post quatuordecim dies, sub hac medela peractas, penitus convaluerit.

Hoc

Hoc successu fretus idem dein in hectica magis inveterata tentabam Decoctum, ac initio etiam votis respondere velle videbatur, at fugax tantum fuit, quod adferebat levamen, aberat quidem uno alterove die febris, at postea redux absentiam gravitate largissime compensabat. Majorem magisque constantem opem etiam hic præstabat cortex peruvianus.

Nec tantam denique ac speraveram in ultimo experimento radix attulit opem. Cephalalgia nempe periodica, dirissima, quavis hora septima matutina accedente & ad vesperam usque durante, per octo dies laboraverat foemina triginta quinque annorum & varia remedia incassum sumserat. Huic pulverem radicis Gei ad drachmam dimidiam omni hora extra paroxysmum cum hoc eventu porrexi: primus post sumtum pulverem paroxysmus, solito longe gravior fuit, & insequentes tres insultus serius quidem accedebant & brevius durabant, at dirissimo cruciatu ægram adficiebant, hinc remedium hoc, impatientia ægrotæ coactus, seposui & ad corticem peruvianum cum sperato effectu confugi.

III.

EXPERIMENTA
CUM
CICUTA IN TUSSI CONVULSIVA.

Cum ante ſex annos hic loci epidemice graſſans tuſſis convulſiva occaſionem optimam, ad experimenta cum variis contra dirum huncce morbum laudatis remediis inſtituenda, ſuppeditavit, & nuper tum temporis mihi innotuerant experimenta a clariſſimo Butter cum extracto cicutæ facta, in uno alterove levi caſu cum hoc remedio periculum facere decrevi, & fere inde ab initio hocce pharmacon cum tanto emolumento præbui, ut dein omnibus hoc morbo affectis; qui ſeſe curæ meæ commiſerunt, cicutam porrigere haud dubitaverim. Nec tantum in Epidemia dicta ſeſe efficax præſtitit conium, in æque multis poſtea hac tuſſi vexatis eundem ab illo effectum lætus obſervavi, ita ut jam triginta tres, quos a tuſſi convulſiva liberavit cicuta, tractaverim. Horum omnium caſus, ſibi invicem in genere ſimillimos, hic deſcribere tædioſum nimis & ſuperfluum foret, ſufficiat

breviter

breviter exponere methodum clariss. BUTTER, & dein modum afferre, quem utiliorem in cicuta hic exhibenda observavi.

PORRIGIT itaque clarissimus Vir extractum cicutæ in spiritu vini solutum, vehiculo aquoso attenuatum & Syrupo quodam dulcificatum, ab uno grano ad majorem, pro ratione ætatis ægri, dosin ascendendo: attenuatæ talis solutionis cochleare majus toties per diem præbet, ut dosis integra nycthemeri spatio consumatur, extracti portionem indies ad levamen augens, & conio tanquam specifico nitens, hoc solo curationem in tussi convulsiva simplici absolui contendit.

IN primis quæ institui experimentis hanc methodum exacte secutus medelam morbi parum tantum progredi videbam. Brevi vero experientia me docuit cicutæ soli non confidendum esse, illamque parum utilitatis hic adferre, nisi emeticum una alterave vice, & pro vehementia tussis sæpius, repetitum præmittatur. Extractum spiritu vini solutum aqua licet maxime attenuatum, tussim reddebat graviorem, sicciorem, clangosam magis & in quibusdam doses hujus Mixturæ aliquoties per

 diem

diem repetitæ, vel extracti cicutæ aucta portio, nauseam, vertiginem & stuporem aliqualem produxerunt.

Hinc ut hæc evitarem incommoda, Extractum cicutæ e solo vehiculo aquoso, tot unciis quot grana aderant conii constante, & hujus solutionis cochleare tantum bis per diem, præmisso emetico, pro re nata, repetito, exhibui, & tali modo porrectum conium votis meis & ægrorum respondebat, tussimque primo rariorem dein mitiorem reddebat, & tandem brevi satis penitus fugabat.

Adultis æque ac infantibus ita data profuit cicuta. Infantibus porrexi solutionem quæ tot grana continebat extracti quot annis gaudebat æger, natu majoribus dosin extracti pro ætate auxi, & adultis scrupulum conii in unciis octo vehiculi solutum propinavi. In duobus tantum casibus cicutæ obstitit tussis Moscho dein fugata, & semel e contra tussim hanc ad Moschum rebellem cicuta debellatam vidi.

XXVI.

XXVI.

OBSERVATIUNCULA DE INFANTICIDIO SUFFOCATIONE SUBITANEA POST PARTUM PERACTO

ANNOTATA A

PETRO CHRISTIANO ABILDGAARD,

M. D. Artis Veterinar. Prof. Societ. Membro Ordinario.

Sicut pulmones in aqua natantes non manifestum & infallibile præbent testimonium contra matrem infanticidii suspectam, ita pulmones submergentes in aqua de matris suspectæ innocentia non testantur, quia auræ vitalis irruptio in pulmones infantis neonati facillime vi impediri potest, eoque facilius, quando non nisi tarde post partum ob longam capitis vel funiculi in partu pressionem, vel aliam quamcunque causam, syncopen creantem, respirare potest foetus. Notissima quidem hæc res est, nondum tamen certa & ubique recepta

 habe-

diem repetitæ, vel extracti cicutæ aucta portio, nauſeam, vertiginem & ſtuporem aliqualem produxerunt.

Hinc ut hæc evitarem incommoda, Extractum cicutæ e ſolo vehiculo aquoſo, tot unciis quot grana aderant conii conſtante, & hujus ſolutionis cochleare tantum bis per diem, præmiſſo emetico, pro re nata, repetito, exhibui, & tali modo porrectum conium votis meis & ægrorum reſpondebat, tuſſimque primo rariorem dein mitiorem reddebat, & tandem brevi ſatis penitus fugabat.

Adultis æque ac infantibus ita data profuit cicuta. Infantibus porrexi ſolutionem quæ tot grana continebat extracti quot annis gaudebat æger, natu majoribus doſin extracti pro ætate auxi, & adultis ſcrupulum conii in unciis octo vehiculi ſolutum propinavi. In duobus tantum caſibus cicutæ obſtitit tuſſis Moſcho dein fugata, & ſemel e contra tuſſim hanc ad Moſchum rebellem cicuta debellatam vidi.

XXVI.

XXVI.

OBSERVATIUNCULA DE INFANTICIDIO SUFFOCATIONE FOETUS SUBITANEA POST PARTUM PERACTO

ANNOTATA A

PETRO CHRISTIANO ABILDGAARD,

M. D. Artis Veterinar. Prof. Societ. Membro Ordinario.

Sicut pulmones in aqua natantes non manifestum & infallibile præbent testimonium contra matrem infanticidii suspectam, ita pulmones submergentes in aqua de matris suspectæ innocentia non testantur, quia auræ vitalis irruptio in pulmones infantis neonati facillime vi impediri potest, eoque facilius, quando non nisi tarde post partum ob longam capitis vel funiculi in partu pressionem, vel aliam quamcunque causam, syncopen creantem, respirare potest foetus. Notissima quidem hæc res est, nondum tamen certa & ubique recepta

habemus ſigna, ex quibus judicare poſſumus an vi impedita fuerit reſpiratio in foetu cæteroquin perfecto, ſano & bene conſtituto, nulla veræ læſionis violentæ ſigna externa vel interna præbente.

Suspicionem vero infanticidii in ſimili caſu valde augent: graviditas occultata, partus ſtudio clandeſtinus, foetus perfectio & omnium partium externarum viſcerumque ſanitas & perfecta conſtitutio, partus brevi tempore peractus, lævis tumor integumentorum capitis, quibus liquet, partum facilem fuiſſe.

Congestio vero ſanguinis ad Encephalum non neceſſarius aut abſolutus eſt effectus ſuffocationis foetus, ut ſequens caſus monſtrare poteſt.

Mense Octobris anni præteriti fæmina ſupra cloacam partum enixa foetum immerſit. Mox detecta eſt malitioſa mater, poſt partum breviſſimo tempore, ut obſervatum fuit, peractum, & foetus ex cloaca, ut mortuus, extractus aqua frigida lavatus eſt.

Post duodecim inde horas hunc foetum examinavi, cujus corpus perfectum, magnum, robuſtum inveni, ab omni externo illatæ violentiæ

ſigno

ſigno liberum, excepto leviori in cute lateris ſiniſtri frontis lineari impreſſione, rubro a dilatatis cutaneis vaſis ſanguiferis tincto colore, quæ impreſſio ab angulato quodam corpore duro, quod foetus cadendo offenderit, facta videbatur. Levis tumor a preſſione contra matris pelvim in magni ſatis capitis integumentis inveniebatur. Funiculus ad pedis diſtantiam ab umbilico cultro abciſſus, ut margo dentatus monſtrabat, fortiſſimus erat, nec vi manuum disrumpi potuerat.

Thorace aperto pulmones magni, ſanguine turgidi, at cæterum viſu saniſſimi, toti & in fruſtulis in aquam injecti ſubmergebant.

Cordis ambæ cameræ ſanguinem nondum coagulatum continebant. Viſcera abdominis ſaniſſima & perfecte conſtituta, vaſaque omnia majora ſanguine plena erant. Detecto encephalo nulla in hoc viſcere congeſtio ſanguinis videbatur, ejusdem vero vaſa in ſtatu omnino naturali reperiebantur.

Ex perfecta conditione corporis foetus & viſcerum ſanitate, ex immerſione pulmonum in aqua, ex ſtatu funiculi cultro a Matre abſciſſi,

ex lævi contusione frontis, sanguine tamen suffusa; ex facili at voluntarie occultato partu, judicavi: foetum vitalem enixum esse sed nondum respirasse, respirationem vero subitanea post partu immersione foetus in cloacam probabiliter impeditam esse, & infantem malitiosa matris voluntate enecatum esse, contusionem vero in frontis latere sinistro casu contra corpus quoddam durum fortuito factam esse.

XXVII.

XXVII.

OBSERVATIO DE VI ARNICÆ IN QUARTANAM.

Auctore Sal. Theoph. De Meza,

M. D. Soc. Membr. Ord.

Vir quadragenarius per decem Septimanas, vel medentis oſcitantia, vel ſui ipſius negligentia, quartana male mulctatus, me ad ſe vocat. Color erat pallidus, cachecticus, ſapor nauſeoſus, alvus quotidie ſemel aut bis ſoluta. Horror & frigus per horam & ultra eum quatiebant, quod inſequebatur calor adurens ſiccus cum multa ſiti: Levis ſudor acceſſui finem ponebat ad tertium diem, nulla vero ſtata hora eandem luſurus tragoediam. Remedium emetico-laxans die apyreto ſumendum præſcribitur & paroxyſmo inſequente ſuperato acceditur ad corticis uſum, cujus ſemidrachma omni capiebatur bihorio, redibat tamen febris ad tertiam usque vicem. De bonitate medicamenti anceps alium pharmacopolam adire ſuadeo;

emanſit quidem acceſſio, atqui breves induciæ, in uſu remedii enim ſemper perſiſtens nec minori quantitate, poſt octo dies en nova febris cum toto ſuo ſatellitio. Habitum ægroti conſiderans autem, neque prorſus ab obſtructionibus immunem ſuſpicans, utpote convictus quod cauſa rebellis intermittentis ſemper in viſceribus abdominalibus infaretis tanquam in equo Trojano quærenda, parum mercurii cortici, addere placet. Connubium a quam plurimis commendatum in febribus refractariis & præſertim quartana. Atqui poſt ſextum diem, dum decem grana mercurii aſſumpſerat, ſalivatio inſequitur quam æger tribuebat ad refrigerium, dum coactus erat domo exire coelo exſiſtente humido & nebuloſo. Nec me hic eventus terrebat præcipue dum ſub ipſa *ſalivatione* febrim ſilere videbam. Subſtituebam vero tunc temporis rhabarbarum mercurio. Conquievit inde febris per tres hebdomadas integras. Imminuta vero corticis quantitate iterum in Scenam prodit: iterum ergo ad Sacram Anchoram corticem ſc. confugiendum, cujus in uſu perſiſtebat æger ad ſex ſeptimanas poſt debellatam denuo

quar-

quartanam præbiis quamvis paucioribus indies, ita tamen ut ſpatio trium menſium viginti quinque uncias corticis conſumpſerat ægrotans. Verum enim vero uſu remedii ſemoto, poſt quindecim dies febris ſub cineribus quaſi ſepulta iterum accenditur, æque ægro ac medico moleſta, toedioſà quartana reaſſurgit, ut olim ſic & nunc medicorum opprobrium dicenda, conſilii autem expers vires tentare panchreſtas & quidem febrifugas laudatas Arnicæ libet; formulam ergo a Dom. Collin conſcriptam concinno, infuſum nempe e quo omni bihorio unc. ij Sumendæ.

R. flor. Arnic. ℥j.
Coq. in ſ. q. Aq. fontan.
Per ½ hor. ad
remanent Lb. ij col. add.
Syr. 5 rad. aperient. ℥j.

Sub primo ejus uſu anxietates & ſpasmos enormes circa præcordia percipiebat æger, quæ metum eidem incutiebant, ut vix ſuadere potuerim quod in ejusdem perſiſteret uſu. Notum enim fuit jam hoc phænomenon aliis, quodque poſt tres vel quatuor doſes diſpariturum eſſet. Alacriter ergo inſiſtens

ſiſtens modice ſudabat, alvus ſolito frequentius deponebatur, rediit adhuc paroxysmus levior ſemel. Color faciei fit vividus, appetitus ciborum increſcit, pharmaco utitur in tertiam ſeptimanam ſenſim imminuta doſi, nec febris amplius recurrit, beneque habet jam ultra quatuor menſes.





XXVIII.

XXVIII.

SEMICUPII TEPIDI EFFECTUS SALUBRIS & CELER CONFIRMATUS IN ISCHURIA CYSTOSPASTICA.

A

JOHAN. WILHELMO GULBRAND,

M. D. Archiatro Regio, Societatis p. t. Præfid.

MERCATOR hujus urbis 44 Annorum, obefus; quieti corporis nimiæ indulgens, ante quatuor annos fluxum hæmorrhoidalem perpeffus, pro fuo more folito aliquot vicibus lautæ coenæ domi fumptæ fuperaddidit mox foecundos potus *Pounch* calices quosdam. Poft celebratam fimilem diætam vefpertinam ultimam lectum petit & obdormit. Poft horam vero expergefactus eft per atrociffimos totius abdominis dolores, ftipatos vomitu ingeftorum, dolore prefforio regionis hypogaftricæ & nifu ad urinam mittendam continuo fed inani, ejulans, anxius, fumme inquietus miferum jactitat corpus ultra tres horas.

CLYS-

Clysmata ab obſtetrice advocata, injecta, repetita malorum ne minimum quidem dederunt levamen.

Circa horam matutinam quartam vocatus ego ægrum in miſerrimo hoc ſtatu conſtitutum invenio, clamantem mortem in ſuccinctu futuram, ni fluxus urinæ inhibitæ conciliaretur.

Pulsus erat parvus, celer, ſudore frigido madebat corpus totum, de facie guttatim cadebat idem, ſtimulus ad matulam continuabat cum iſchuria perfecta. Verbo, diriſſimus erat morbus, cujus animus adhuc meminiſſe horret, & ad cujus conſpectum vix temperaret a Lachrymis ullus.

Suasi mox ſemicupium, ex ſimplici aqua tepida, ſub debitis cautelis uſurpandum. Dolores ægri, in ſemicupio per aliquot modo minuta prima temporis commorati, pededentim imminuuntur, pulſus plenior, liberior, tardior fit, vomitus ceſſat, anxietas fugit, ſudor frigidus in madorem calidiorem tranſit, gaudium quietum ex oculis jam vividis luceſcit, liberum trahit ſpiritum, ſtimulus ad urinam cedit, & ſemicupio jam

per

per dimidiam horam insidentis regio Epigastrica tota fricatur Linimenti volatilis unciis duabus, laudani liquidi sydenhami drachmis duabus mixtis. Denique semicupium linquit a doloribus, subitam paulo ante minantibus ruinam liberatus, lectum petit, tecta dimidia & inferiore corporis parte pannis laneis calefactis. Linimento dicto similes panni imbuti regioni hypogastricæ imponuntur. Denique mittit mensuram circiter unam urinæ citrinæ, lente effluentis. Evidentem hunc salubrem effectum, antispasticamque virtutem observans, ex juvante hoc remedio novas formavi indicationes, judicans cibis assumtis infuisse forsan particulas acriores, vel potui super ingurgitato coenæ opiparæ acidiores quasdam, quibus vellicati intestinorum nervi, & spasmus productus. Hasce eleminaturus & obturaturus sequentem dedi mixturam omni hora ad cochlearia duo majora sumendam.

R. aqu. dest. meliss. ℥iij.
Mucilag. gum. arab. ℥iß.
Ol. Ricini americ. ℥ij. laud. liquid. ʒß. M.

Placide dormientem reliqui post spatium unius horæ ab adventu meo. Venæsectionem assuetam

ultra

ultra annum neglectam, proximo mane ad ℥xij. repetendam consului: Consistentia & qualitas visibilis sanguinis educti sequentes erant: serum paucum coloris aurantii: Cruor grumosus, pinguis, grauis, nigricans absque omni crusta. Postridie laxans mannatum, sale polycresto acuatum dedi: interea temporis, mixtura superius allata levem ediderat effectum laxantem.

Urina matutina aliquot diebus continuis sedimentum deponebat mucosum paululum rubescens. Denique ægro in posterum commendavi coenas parciores & tenuiores præ lautis & opiparis, quas celebraverat, & stomachicum sequens sub diæta justa utendum.

R. Tinct. rhei aquosæ ℥j.
Liqu. terr. fol. tartar.
Ess. cort. Peruvian. aa ℥ß. M. d.
gtt. 100 bis quotidiæ.

Tribus mensibus jam absque incommodo bene vixit noster. Non rei novitas, sed virtus tam simplicis remedii, & gaudium, quod bonus quisque ex fuga dolorum dirissimorum adeo subita, percipiat, dent narrationis hujus veniam.

XXIX.

XXIX.

OBSERVATA QUÆDAM CIRCA FEBREM PUTRIDAM ANNOR. 1779-80. CUM ADJUNCTIS MONITIS CIRCA INEFFICACIAM CORTICIS PERUVIANI ET EFFICACISSIMAM VIM PULVERIS SEMINUM SINAPEOS ANGLICANI, REGIÆ SOCIETATI MEDICÆ HAUNIENSI OBLATA

A

H. Callisen,

Med. Doct. & Pr. P. Soc. Memb. Ord.

Febribus putridis, quæ primis octo mensibus anni præteriti inter nautas Classis Regiæ grassabantur ut plurimum Peripneumonia putrida, saltem in initio morbi, juncta erat, qualem descriptam tunc temporis cum Societate Regia communicavimus; E contrario febres, quæ spatio quadrimestri prioris anni ultimo, ac primis ultimisque hujus

anni menſibus per populum, rei nauticæ deditum, graſſatæ ſunt, nautasque Danos æque ac Ruſſicos, Hauniæ hybernantes, ac egenos denique marinos, proſtrarunt, omnes genium monſtrabant putridum, genuinum magis typum ſervabant a priori deſcripta febre longe diverſum, & vincendæ aliam poſcebant medendi methodum. Animus eſt jam Societati tradere ſummam Obſervationum, quas ad morbum hunc dignoſcendum, curandum, judicandumque repetita dictitavit experientia.

Morbus, nec ætati parcens nec temperamento nec habitui corporis indiſcriminatim robuſtos invadebat ac debiles, Euchymos ac Cachecticos, juvenes ac ſenes; Attamen non valde contagioſus erat: Haud raro ante ingreſſum Noſocomium ægri foras 12 imo 16 diebus apud ſodales hoſpitabantur, absque contubernalium detrimento. Nec niſi perraro, ægroti reliqui, putride febricitantibus vicini, in Noſocomio decumbentes, ullam contagii labem contraxerunt.

Raro contigit primum morbi ſtadium in nautis Danis & Ruſſicis obſervare, ob tardum horum, & ad notabilem morbi decurſum usque pro-

tractum

tractum in Nosocomium adventum, quare initium morbi ex visis in pauperibus in Nosocomio hospitantibus, aliisque hoc morbo correptis describere cogor. Invadentem morbum patefecerunt sensus debilitatis ac ponderis in toto corpore, pandiculatio, artuum tremor, sensus gravativus in abdomine, in Epigastrio imprimis atque lumbis, non minus capitis, oculorum languor, eructatio amara, salsa, nausea, vomituritio, vomitus, respiratio suspiriosa, denique maxime inviti lectum linquebant ægri. Pulsus in hoc statu erat plane naturalis, paulo tamen frequentior. Lingua in nonnullis plane naturalis, in aliis albicans, sicca, in media parte profunde rubra. Interdum superiores corporis partes subitus occupabat calor, quem brevi excipiebat sudor frigidus cum miro faciei pallore; alvus ut plurimum clausa erat, urina pallida cruda. Aegroti quasi meditabundi sedebant, ac interrogati terrefacti ac inviti respondebant. Circa tertium diem calor ac sitis augebantur, pulsus tunc erat inæqualis, somnus parcus vel nullus, extra lectum frigebant ægri, tantoque corripiebantur tremore, ut vix pedibus insistere valerent. Nunc

vero magis incendebatur febris, auctis congestionibus versus caput; Symptomata dicta in universum increscebant, vomitu foetidissima ejiciebatur materia, lingua impura, sapor putridus. Brevi accedebat leve delirium, quod post 2-3 dies in somnolentiam transibat, demum in stuporem profundissimum mutatam.

Alii post breves horripilationes, calore vehementi sicco, Cephalalgia gravi, doloribus artuum, respiratione frequenti, suspiriosa, *lingua* sicca, impura sitique corripiebantur, cum pulsu magno, molli, frequenti, facies oculique rubebant, viriumque maxima prostratio aderat. Succedebat paucis diebus delirium fortius quam in prioribus, denique in Coma ac stuporem transiens; ægroti tunc per complures dies apoplecticorum *adinstar* immobiles jacebant, respiratione tamen parum mutata.

Tertium denique morbi stadium succedebat, distinctioribus Symptomatibus dissolutorum humorum & putredinis stipatum. Lingua jam in dies magis arida & impura & una cum dentibus nigrior evadebat. Halitus odorem foetidissimum

ac

ac excrementa foetorem insupportabilem spirabant. Aegroti palpebris semiclausis, immobiles, supini jacebant; lingua manusque tremebant. Tendines nautarum Danorum quorundam subsiliebant, e lecto exsumti, parvum vel nullum motum edebant. Pulsus in debilioribus subjectis citius quam in rubustioribus minor, frequentior, inaequalis evadebat, ac pluries per Nycthemeron quoad numerum ac frequentiam pulsuum mutabatur; quando major erat pulsus, praecipue circa finem morbi, mollitiem percepimus insignem quasi a sanguine vacua esset arteria; interdum quoque pulsus per breve temporis spatium statum sanum naturalem mentiebatur, & tunc cito minimus, inaequalis evadebat, & per integrum minutum primum temporis emansit ictus secuturus. In hoc morbi stadio urina & alvus involuntarie, illaque variae valde indolis aegre excipiebatur. Oculi in universum ob corneae transparentis exficcationem adspectum valde larguidum habebant. Os apertum erat, diductis inprimis versus finem morbi maxillis; Respiratio indies inordinatior, frequentior ac denique vix sensibilis evadebat. Nonnulli ne so-

num quidem proferre potuerunt, in aliis loquela sensim minuebatur, nullus verbum nisi valde invitus edebat, excepto unico qui ultimo vitæ die mira ac inimitabili velocitate loquebatur, tenerrima quidem voce; deglutitionis defectus, & animi deliquia a quovis motu quoque accedebant. Plurimi Petechiis e coeruleo rubentibus, haud raro pisi magnitudinem æquantibus, per totum corpus ipsa facie non excepta obsessi erant. Serius nec quidem in omnibus vibices ejusdem coloris dorsum lumbosque occupabant. Nonnulli narium hæmorrhagia satis gravi sub maxima pulsus debilitate corripiebantur, sanguine fere pellucido haud coagulabili, tenuissimo emisso; alii tussiendo sputum edebant sanguinolentum, alii denique cum urina ac excrementis sanguinem mittebant. Sub summa licet munditiei cura sub decursu morbi tetrum spargebant odorem ægroti satis magna distantia adhuc molestum. Loca quibus vesicatoria imposita erant, nates ac lumbi a pressione excoriati, perfacile, administratis licet remediis antisccepticis in- & externis efficacissimis quibusque, gangrænescebant & ægroto superstite in ulcera magna impura foetidissima

ſima mutabantur. Urina ſub toto morbi decurſu profunde rubra, nunc ſpadicea fuſca ac foetidisſima erat, in nonnullis nigricans. Calor mordax tunc totum occupabat corpus. Quodſi habitus ægri robuſtus erat, nec ætate provectus, nec nuper alium morbum ſuſtinuerat, nec Noſtalgia laborabat, totum hoc Symptomatum agmen ſuperare & adhuc ſanitatem recuperare potuit. Lætam ſubminiſtrabat futuræ ſalutis ſpem obortus ſudor æqualis, lenis, continuus, plerumque cum ſedimento urinæ mox lateritio, mox albicante purulento quaſi, mox griſeo; alii tumore critico metaſtatico ſervabantur. Reliqui, quorum ejectiones criticæ mox ceſſabant, ad ſextam usque hebdomadem miſeram vitam protrahere potuerunt, ac tunc denique occumbebant. Debilioris habitus ægroti, ſcorbutici, Noſtalgia laborantes longe citius moriebantur, nonnulli quidem ante octavum diem, diſtinctis tunc ſignis gangrænæ inteſtinorum præſentibus. Plerumque quartæ poſt invaſionem morbi ſeptimanæ ægrorum ſortem judicabant. Primum reſtitutionis ſignum erat ſtuporis diminutio, de dolore aut verbis conquærebantur

bantur ægroti, aut flebili ejulatione eundem indicabant; ad objecta vicina quodammodo attenti videbantur; pulsus æqualis, rarior, major evadebat. Crisis mox tunc superveniens morbum judicabat atrocem; quæ si haud interrupta permanebat, sanitatem promittebat brevi venturam ægrorum, qui per plures hebdomadas cum morte luctati erant; insufficiens e contrario ejectio critica, lentissimæ virum restitutioni, pluribus recidivis morbisque denique chronicis ansam dabat. Quo gravior primum morbi stadium, eo vehementior totus morbi decursus, eo magis anceps eventus. Meteorismus abdominis, singultus, sudor frigidus pulsus vix sensibilis, tremulus, mortem ostia pulsantem indicabant. Surditas in quarta morbi hebdomade superveniens bonum signum. *Cito* exortus in ulceribus Sphacelus in nonnullis bonæ Criseos locum supplebat.

Curationis initium, in illis, qui in ipso Nosocomio morbo corripiebantur, semper faciebat emeticum e Tartaro stibiato a quatuor ad sex grana porrectum; absoluto hujus effectu, mox porrigebatur laxans; in multis Aqua laxativa usualis

ad

ad alvum sufficienter solvendam haud sufficiebat, sed ad purgantia fortiora recurrendum fuit; ægroti quotidie nisi bonus sudor aderat aqua frigida aceto commixta per totum corpus lavabantur, vestimenta, lintea stragulaque quotidie, quantum fieri potuit, puris nitidisque commutabantur, aërisque puri frigidioris liber accessus in spatiosum cubiculum admittebatur. Assumebant tunc ægroti aceti camphorati cochleare majus omni bihorio, interpositis semper ad indicationem laxantibus. Hac methodo in duobus juvenibus stupor plane avertebatur, morbus jam 5to die sudore critico solvebatur, & nil nisi Diæta confortanti antiseptica ad sanitatis restitutionem opus fuit. In omnibus, quibus hæc methodus inde ab initio morbi applicabatur, orgasmus sanguinis & congestiones versus caput mire minuebantur, totusque morbus mitior decurrit. Ast vero decumbentium plurimis vix ante octavum imo decimum quartum morbi diem ad Nosocomium missis, morbus jam ante adventum altissimas egerat radices, & magnos fecerat progressus, maxime in quibus omissa fuerant evacuantia. Statim post introitum his emetico laxan-

 tia

tia porrigebantur; Regiminis eadem habebatur ratio; & mox a finita dati remedii evacuantis operatione ad corticis Peruviani usum transii. Aegroti Nycthemeri spatio decoctum 2-3 unciarum Corticis assumebant, & sub maxima debilitate 4 unciarum decoctum interdum porrigebatur, ac simul pro gradu debilitatis 30 ad 100 gtt. *Liquoris* Nervini dicti, ex Camphora Spiritu Vitrioli dulcificato soluta compositi, bihorio *quovis* dabantur. Pro potu ordinario cerevisiam meracam nobiliorem acido Vitrioli commixtam, vini generosi unum alterumve haustum, potus *Panade* & *Punch* dictos fructus acidulos coctos, aliaque restaurantia assumebant. Vesicatoria ac rubefacientia ad rationem debilitatis in usum trahebantur, nec omissis Epithematibus frigidis circa caput, hirudinibusque ad tempora admotis, hi tamen ob majorem sanguinis jacturam vix intra plures horas digitorum comprimentium ope compescendam statum longe pejorem reddiderunt. Praeterea aegroti saepe aeri libero exponebantur.

Votis vero non respondit administrata haec methodus medendi, in iis praesertim, in quibus signa

ſigna debilitatis pulſusque languor jam majori gradu aderant. Inter tres ægrotos hoc morbo correptos, vix unicus evadebat, quamvis die nocteque ſcrupuloſiſſima eorum cura gerebatur. Quare mihi valde anxio, & de tot ægrotantium morte ſollicito demum animus hæſit, utrumne nimius Cortex Peruvianus, exacerbationi febris & inde pendentibus coctioni & eliminationi materiæ morboſæ obſtans malum cauſaret morbi eventum? Decrevi igitur remedia excitantia interna, dum externis augendis nulla dabatur occaſio, largiori manu porrigere. Præſcripſi ſingulis horis ſumendum *Moſchi Orientalis* grana 2 - ad 10, cujus uſum levis quidem inſequebatur exacerbatio febris, attamen ad criſin debitam & deſideratam producendam omnino inſufficiens: Paulo poſt igitur ob vim effectui optato præſtando imparem, & magnum, quo proſtat pretium, Moſchum miſi. *Camphora* magna quamvis doſi ſumta forſan ob vim ſedantem plane nihil profuit. Radix *Serpentariæ Virginianæ* tunc temporis in noſtris Pharmacopoliis rariſſima, vix proſtabat venalis aut ſummo redimebatur pretio, nec igitur ejus vires in hoc

morbo

morbo maligno tentavi, ad Pulverem Semin. *Sinapeos Anglicani* confugiens, quocum primum feci periculum apud ægrotum quinta hebdomade decumbentem & jam quasi agonizantem. Deglutivit hic singulis horis drachmam Semin. Sinap. pulverisati una cum dosibus Corticis Peruviani minoribus interpositis. Effectus sextam Sinapeos drachm. sumptam sequebatur optatus & manifestus. Exacerbatur enim febris, sensim increscens, demumque fauste judicata per sudorem æqualem & urinam criticam tota hebdomade persistentem. Aeger, Symptomatibus paulatim sub instaurante regimine minutis, sanitatem viresque brevi recuperavit. Fausto hoc successu expectationem meam longe superante incitatus, omnibus febre putrida laborantibus pulverem Sinapi dedi, *quamprimum* accedebant stupor, pulsus languor, aliaque insignis debilitatis Symptomata, diæta tamen antea allata ac evacuantibus nunquam neglectis. Corticis tamen usus minori licet dosi hisce remediis interponebatur. Contigitque mihi funestam morbi trucidantis vim his remediis usque adeo frangere, ut posthac in universum e quatuor decumbentibus

vix

vix unus ſuccumbebat, quin plurimi potius reconvaleſcerent. Denique plane de uſu Corticis in hoc morbo deſiſtere auſus ſum, ſolo uſu ſinapeos regiminique antea allato fidens, & nunc morbus evacuatione critica citiori, faciliori ac perfectiori longe celerius ſolvebatur, ægroti longe breviori tempore ſanitatem viresque recuperabant, ut ne quidem multis veſicatoriis ægrotos cruciare coactus eſſem. In nonnullis uſus Sinapi vomitum ciebat, his minor quantitas porrigebatur, alii aqua aromatica nuptum haud inviti aſſumſerunt. Numerus hac febre putrida mortuorum, inde a quo ſemina Sinap. Anglican. Cortici Peruviano ſubſtitui, adeo minutus eſt, ut poſthac vix decimum quemque decumbentem ſuſtulerit morbus, juxta Diarium ægrotorum Noſocomii marini Regii, ut obſervationes in civili mea praxi taceam.

In re tanti momenti liceat mihi nonnullas Hypotheſes adjungere easque maturæ Societatis dijudicationi ſubmittere. Quodſi verum eſt iſtud magni Sydenhami effatum, morbum nihil aliud eſſe quam niſum naturæ ad eliminandam materiam noxiam, hoc maxime valebit de febribus, quæ de-

ſtincta


ſtincta evacuatione critica ſolvuntur, omniumque maxime in eis, quarum miasma certas periculoſiſſimasque vitæ inſidias ſtruit. Nullum ſane datur Miasma adeo pernicioſum quam putredo, cum nervi, utpote ſedes ſenſibilitatis, tali modo inde obtundantur atque afficiantur, ut totum corpus ad coctionem ac eliminationem materiæ peccantis inde inhabile reddatur. Febris in morbis putridis quoque non alio modo conſiderari poteſt, quam conatus naturæ debilis quidem & ut plurimum inſufficientis ad materiam morbificam ejiciendam. Quare Medico hunc morbum ſanaturo maxime incumbit, ut ſumma ope nitatur, febrem pro ſervanda vita ægroti & eliminando miasmate excitare, minime autem remediis antifebrilibus ſupprimere. Ecquis enim febrem putridam absque ulla ejectione critica perfecte ſanatam vidit? Omnes noſtri ſeculi Medici in tractatione febrium putridarum ad Corticem Peruvianum majori doſi ſumtum quaſi ad ſacram anchoram confugiunt. Liceat mihi de effectu hujus remedii unum alterumve verbum addere. Cortex Peruvianus vi gaudet roboranti ac antiſceptica, optime inde indica-

tus

tus videtur in morbo, ubi & debilitas & putredo adeſt. Præterea vero vim ſpecificam habet, qua febres intermittentes aufert, continuas ſupprimit ac inordinatas reddit; ultima hæc qualitas, in morbi medela, ubi tantum a febre expectari poteſt ac debet, non ſolum non prodeſt, ſed contrarium effectum præſtare videtur, eo magis quidem, quo majori doſi aſſumatur. Cum dictæ proprietates Corticis ſeparari haud poſſint, quæſtio inde exoritur, an non ſalutaris effectus Corticis absque ejus detrimento alio modo produci poſſit. Roborantium uſus in febribus putridis maxime indicatus eſt, ut vires, expellendo miasmati impares, ſuſtineantur; nonne vinum generoſum, cereviſia nobilis, Punch aliaque hoc efficere poſſunt, absque Corticis utpote febrem ſupprimentis connubio. Idem valet de vi Corticis antiſceptica, quæ non tantum in alteratione materiæ putridæ ipſius quam in ſiſtendo actu putredinis conſiſtere videtur, quod ſane dicta cordiaca ac acida potenter quoque efficiunt, præcipue ſi aeris puri frigidi acceſſus ſimul permittatur. Cum denique torpor, defectus ſenſibilitatis ac languor pulſus inter febrium putridarum Symp-

tomata

tomata perniciosissima sint, & e contario auctus orgasmus sanguinis, viriumque & pulsus elevatio, notis boni omnino ominis adnumerentur, oppido liquet, omnia, quæ febris vehementiam frangunt, noxæ suspicionem incurrere certam, quippe quorum mediorum administratio intempestiva crisin aut plane impediet aut imperfectam saltem reddet, ac lentissimæ restitutioni multisque morbis chronicis ansam dabit; dum contra hæc remedia excitantia varia eo magis indicata erant, *quo debilior* ægrotus, quo major insensibilitas ac stupor. Nec difficile erit ex tanta remediorum excitantium copia talia seligere, quæ peculiaribus circumstantiis maxime convenire videntur; ego semine sinapi vi excitante ac antisceptica simul gaudente usus sum, cujus effectus expectationem meam *hucusque certe* superavit.



XXX.

XXX.

OBSERVATIONUM MEDICARUM TRIGA,

Auctore URBANO BRUUN AASKOW,

M. D. Archiatr. Regio, Societ. Membro Ordinario.

OBSERVATIO I.

SPINÆ dorsi incurvatio, vertebrarum excrescentia, e. s. p. quam sæpe infantes affligant, quantæque curæ sint medentibus, nostrum latet neminem: Nec minus notum quam parum his in affectibus ars hucusque valuit nostra. Incipiente morbo, balnea frigida, fotus ex oxycrato cum gummi ammoniaco, motus corporis & exercitia quibus tota erigitur spina; rarius deligatio conveniens, profuit; dato simul pro interno usu cortice peruviano, radice rubiæ aliisque roborantibus, si, ut haud rarum, rachitis in caussa fuerit. Difficillime autem curantur distorsiones tales a læsione externa infantibus contingentes, quas haud raro

 reticent

reticent seduloque celant nutrices, ne debitam parentum incurrant iram. Nuper efficaciam expertus fui fonticuli, quem in distorsione spinæ a carie vertebrarum primus, ni fallor, commendauit cl. *Pott*.

Ante biennium infans triennis mensæ insistens decidit dorsumque pauimento impingit; ejulat, dolores queritur. Post aliquot dies accersitus fomentationem suasi frigidam ex oxycrato cum sale ammoniaco, qua, post aliquot dies, levabantur dolores: dein ut diu inungeretur spina balsamo saponis bis terue per diem jussi. Aliquot jam menses lætus ac vegetus transegit infans, at inde denuo spinæ incusat dolorem, incuruatur hæc, indiesque crescit malum, rachiticorum adinstar infantum; floridus antea faciei color evanescit, abdomen intumescit, caput grandescit, debilis fit infans, anhelus vix ambulare valet, ob dolorem spinæ inferiores artus emaciantur, incuruantur & quasi paralytici fiunt.

Balnea suasimus frigida, inunctiones quoque spinæ balsamo saponaceo additis spiritibus aromaticis, nec non tincturam Rhei cum liquore

terræ

terræ foliatæ tartari. At brevi valde ingrauefcit malum, hinc, me abfente, in confilium vocatus medicus alius, rhachitidem incufans, decoctum præfcripfit corticis peruviani cum radice rubiæ, externa modo dicta fimul adhibens remedia. Nil aut parum hinc juvaminis. Demum rediens fonticulum fuafi ad modum cl. *Pott* adplicandum, qui unanimi inftitutus confenfu fuit. Vix per duas hebdomadas inde orta fuppuratio duraverat, quum lætus confpexi in melius omnia mutari: Hinc ad alterum latus novum incidi fonticulum curaui. Senfim imminuebatur tumor ac dolor fpinæ, fenfim dorfum melius erigere pedibusque infiftere valebat infans, ita ut jam, licet ante dimidium anni, urgentibus parentibus, fanatus fit fonticulus, optime ambulare valeat, multumque adfit fpei, haud magnam futuram fpinæ incuruationem; infans fanus eft ac hilaris ingeniique acuti.

Observatio II.

Nuper tympaniticum vidi & curaui infantem, qui ingluvie morbum ad tantum contraxerat gradum, ut vix adhuc vitæ fupereffet fpes.

Infans nempe triennis, qui autumno prægresso variolarum optime ſuſtinuerat inſitionem, indeque ad menſem usque Februarii bene valuerat, jam ægrotare incepit. Increſcebat abdomen, languebat ingenium, pallebat facies ac voraciſſimus erat puer ſemper. Vermes incuſans præſcripſi pulveren vermifugum Pharmacopoeæ *Danicæ*, addita ad ſextam totius partem radice rhei, & circa phaſes lunæ laxans e radice jalappæ & calomel; & ne nimium voracitati infantis indulgerent parentes monui, ſimulque ut ſedulo pueri abdomen oleo abſinthii fricarent.

Hæc pulchre juvare videbantur, menſe autem elapſo in pejus ruebant omnia: Mater infanti eſcam flagitanti panem denegare haud valebat: Hinc enormiter increvit abdomen, continuus adfuit alvum deponendi conatus, alvus vero parca, mucoſa. Præſcripſi jam pulveres e Rheo cum ſale medio & paullulo radicis ipecacoanhæ, at ſine effectu. Infans enormiter tumidus, ſtupidus fit; pulſum tetigi languidum ac debilem, abdomen valde tenſum, ſonans. Laxantia jam varia, clysmata cum ſapone & aſa foetida, inunctiones

ad-

adhibebantur abdominis, incassum autem omnia: Mucus tantum foetens, flauescens, inscio infante, excernebatur. Malis hisce per triduum perpetuo auctis adeo, ut in orci limine constitutus videretur puer, fomentum frigidum, quod jam pridie suaseram, renuentibus licet parentibus, ipse adplicaui; lintea nempe aqua glaciali madefacta, expressa, toti imposui abdomini eo cum effectu, ut tribus elapsis horis alvus sit deposita; viribus deinde rubro sustentatis vino ac porrecto decocto corticis peruviani cum radice rhei, perque duos adhuc dies adhibito fomento frigido, collabescere incipiebat abdomen, alvus large euacuabatur, appetitus vigente morbo prostratus redibat, jamque ultra mensem pulchre valet infans.

Observatio III.

Infantula quartum agens ætatis annum post ægritudinem unius diei grauiter convellitur, per duos dies redeunt convulsiones sed leviores, delirat continuo, febrisque valida urit. Initio quarti diei convulsiones absunt, deliria vero haud ita, subque iis cantat ac loquitur parvula; multis

pentibus variolis febris quoque minuitur. Morbus variolosus solitis porrectis remediis sua peragit stadia; sensim vero perditur loquela, immo diem circa nonum muta erat omnino puella. Deplorandus hicce status ultra duas perdurat septimanas; demum post plura propinata purgantia mercurialia sensim rediit vox ac plenaria *sanitas*.

XXXI.

XXXI.

FEBRIS LENTA NERVOSA, CUM PYURIA,

OBSERVANTE

SAL. THEOPH. DE MEZA,

M. D. Soc. Membr. Ord.

PROOEMIUM.

Nihil arduum esse homini *Horatii* est effatum, atqui morbos agnoscere, horumque causas dignoscere rem profecto arduam esse norunt mecum omnes *Æsculapii* nepotes. Quanta diligentia enim sæpius & in genium, & in causam ægritudinum quærunt, quæ tamen optimo observatori magnaque ingenii acie prædito, sæpissime sese in occulto continent, latentque in puteo *Democriti*; quam necessarium vero sit medenti, causas morborum altis sæpe tenebris obvolutas eruere, ut recta insurgat inde medendi methodus, neminem latere potest. Hoc autem opus, hunc vero laborem

esse, patebit ex observatione circa febrem lentam nervosam, cum pyuria, quam modeste propono Sodalium eruditorum indagini.

Casus.

Vir 48 annos natus, robusto præditus habitu, plus æquo vini & spirituosorum potui deditus, indeque ad lapsus pronus varios ictus ac corporis percussiones accipiens, sub finem mensis Junii anni vix elapsi, post anorexiam diuturnam, morositatem inconsuetam, iracundiam insolitam febri corripitur, summa debilitate pulsuque parvo vix perceptibili aliquando, lingua sordida, squalida alboque muco obducta, surditate summa, urina limpida clara statim se manifestante. Vocatus emetico laxans præscribo, *quod* effectus desideratos præstat, exinde spatio duorum dierum mixtura utitur acida camphorata, interposito iterum usu emetici laxantis per diem, denuo ad mixturam Camphoratam redit, alvo alternis saltem diebus soluta aquæ laxativæ cochlearis unius vel alterius ope. Diæta tenuis commendatur, haustus vini rhenani non denegatur, subinde de die partim ut

con-

consuetudini ex mente *Hippocratis* quid concederem, partim ut vires erigerem nimis collapsas putredinique obicem ponerem, epispastica vel sinapismi plantis pedum apponuntur, non emendata inde surditate, hirudines ad tempora applicantur, nec non lavamentum capitis frigidum sæpius de die instituitur, sine fructu tamen; febris eodem manet in statu, sed linguæ sorditie imminuta decoctum corticis saturatum, cum radice serpentaria Virginiana tanquam summo tonico, exhibetur, additis unicuique dosi 20 guttis liquoris nervini.

Mens ubique constabat eratque æger ut plurimum extra lectum. Vesicantia vero vel & revellendi a capite causa, vel & stimulum nervis addendi ergo suris adhibentur, quæ non nisi sexdecim post horas, bullas elevabant vix ægro de stimulo aut irritatione conquerente, mane cutis separatus & unguentum digestivum addito cantharidum pulvere imponitur, nec quidquam tamen inde sentiebat æger. Comparentibus hinc inde in ulcere maculis nigris, inde herbarum aromaticarum in vino incoctarum fomento ad suppurationem tandem post aliquot dies ducuntur ulcera.

Elapsis ſic tribus hebdomadibus queritur æger de continuo ſtimulo ad matulam, nocturno præcipue tempore ſomnum impediente, criſim inde inſtare ſuſpicans, urinam jubeo aſſervari in craſtinum. Copioſa erat lacteſcens fere, turbida, uti ajebant, emiſſionis tempore, ſed brevi materies ſe præcipitabat alba, puri haud diſſimilis, ad tertiam fere matulæ partem aſcendens: ulcus in renum alterutro adeſſe credo, quamvis nulla indicia nephritidis aut calculi unquam prægreſſa. E veſica non venire pus ajebam, dum ex ulcere veſicæ urina non turbida mingitur, ſi fides auctoribus, nec querula ulla audiebatur de dolore ibi locorum nec in urina emittenda. Niſi forſan quis id concludere vellet, ex quodam dolore moleſto plantarum pedum, quem ſæpius ſentiebat æger, quemque deducere vellet cum *Whyt* (a) ex conſenſu aut ſympathia nervorum in effectibus veſicæ.

Non admodum lætum dabam prognoſticon, præſertim ſi ulcus magnum uti ſuſpicari licebat e copia puris quotidie excreti, vel ſi uterque ren

affectus.

(a) Beobach. über die Natur-Ursachen und Heilung der Nerven-Krankh. p. 20.

affectus. Evacuatio hæc purulenta per octo integras duraverat septimanas, symptomatibus, febri scilicet cum surditate, sensim recedentibus, nec sine virium incremento. Excipias modo impossibilitatem standi aut gradiendi, unde quamvis omni cura adhibita, sæpius cadebat æger, dum conabatur se erigere e lecto aut e sedili.

Diæta sensim concedebatur plenior. Medicamentis utebatur aqua selterana cum lacte, interpositis pilulis Balsamicis ex myrrh. mastich. oliban. extract agrimon. & therebinthina. Nec omissis corticis cum rheo tribus præbiis de die. Metu, nescio a quo, de hydrope insecuturo incusso usum diuturnum aquæ selteranæ, nec cessante adhuc pyuria, petit æger aliud medicamentum, priori ergo substituo aquam calcis ad ℥vi cum lacte omni die & singulis præbiis corticis addo tria grana limaturæ martis. Disparet autem pus prorsus ex urina, omninoque bene habet æger, de pedum & crurum summa debilitate tantum questus adhuc. Balneum frigidum seu lavamentum pedum frigidum suadeo, indeque brevi tam validus fit pedibus, ut cum scipione stare atque incedere posset,

poſſet, absque aliorum juvamine, & paulatim ſic inde increſcunt vires, ut prorſus reſtitutus modo ſit noſter, auditu, appetitu cibrorum ſomnoque gaudens reficiente, pancratice regeque Perſarum beatior vivens.

Epicrisis.

Varios morbos oriri a ſpiritus vini abuſu, ſolidis nempe continuo ſtimulo defatigatis demumque torpidis factis, liquidisque coagulatis & ſtagnantibus nec novum eſt, nec explicatu difficile, indeque hydrops, leucophlegmatia, polypoſæ concretiones, febresque variæ, lentæ hecticæve & ſimilia, obſervata habentur. Atqui difficile ac arduum certe erit rationem reddere de pyuria inde orta ſine inflammationis ulcer*is*ve *ſaltem ſignis* prægreſſis, ut in ægroto noſtro.

Fuitne verum pus? Ita videtur.

Inter excreta enim præternaturaliter colore albo predita, quatuor præcipue annotantur ab obſervatoribus. Pituita nempe, materies chyloſa, ſemen, & materia calcarea. Pituita ſeu mucus veſicam naturaliter obliniens, quem deducit

van

van der Haar (b) ex guttula urinæ non evacuatæ & in vesica remanente, acrique mora facta indeque mucum naturalém abradente, ob urethræ vitium nimis angustæ nempe, aut ob carunculas urethram, hæmorrhoidesque vesicæ collum arctantes, quamque *Sauvages* vocat pyuriam mucosam. Sed nihil simile unquam observatum in nostro.

Chylosam diabetem observarunt equidem plurimi cum febri lenta, ardore, urinæque difficultate, cum virium insigni jactura, summoque corporis detrimento; quæ vero non concurrebant in nostro, dum virium prostratio potius ab initio aderat, nec ab evacuata tali urina augebatur, quin potius cum euphoria & symptomatum levamine evacuabatur, ut subinde ea de causa criticam fuisse evacuationem cogitarem. Adde quod omnis ruebat materies ad fundum & urinam relinquebat puram ac claram, quod si lactea aut chylosa fuisset, arctissime mixta ac turbida mansisset. Item monendum, urinam nullum sparsisse odorem subacidum.

Nec

(b) Samlung auserles. zum Gebrauch pract. Aerz. 2 Band 2 Stück p. 47 & seq.

Nec femen fuit, fcil. laxis aut debilitatis veficulis feminalibus. Sedimentum enim urinæ, non gelatinæ fpeciem aut filamentorum quafi inde ductorum præ fe ferebat, quale in illis, qui ex nimio coitu venereo, aut deteftanda onania effunditur (c). Ægrotus quoque tantum feminis difpendium, tam diu ferre non potuiffet fine tabe lethifera preffo pede infecutura.

Urinam cretaceam, calcaream in ex arthriticis parentibus genito copiofiffime excretam fine ullo fere incommodo annotavit *Hundertmark* (d), nulloque prævio dolore lumborum nec ulla mingendi difficultate. Atqui nihil tale fufpicari licuit in noftro, nec talis apparebat materia excreta fibi aliquandiu relicta, cum ergo ex allatis patet, pituitam, chylum, femen, aut materiem calcaream non fuiffe, quæ comparebat in urina noftri, nihil aliud videtur reftare quam pus. Verum enim vero quædam opponere licet.

1°. Experimenta non inftituta fuiffe, quibus conftaret de puris indole, nempe præcipitationem indu-

(c) Balding Syllog opufcul. Vol. VI. p. 119. 120.
(d) Balding l. c.

inducendo per additamentum acidi vitrioli aut alcali caustici, uti placet *Darvins* (e), huic respondeo, mihi tunc temporis copiam non fuisse hujus tractatus.

2°. NULLUM fuisse foetorem puri proprium in tali urina. Pus fuisse non chylum in urina cujusdam asseverat cel. *Morgagni* (f) contra varios medicos, chylum esse statuentes, quia inodorum, dicens sæpe quidem pus foetore infectum descendere ex læsis renibus. Extant tamen inodori puris exempla non modo aliunde, ut cum *Celsus* scripsit, melius esse pus si nihil olet, verum etiam ex ipsis renibus. Quæstiones jam ergo oriuntur:

1°. UNDE tanta puris generatio sine signis ulceris renum vesicæve.

2°. QUOD si ulcus latuisset, possibilisne tantæ renum exulcerationis curatio?

3°. AUT licebit statuere pyugeniam absque inflammatione prægressa cum *de Staen* (g) & Lympham naturalem in pus converti posse cum

Hew-

(e) Experiments on a criterion between mucus and purulent matter.

(f) De sedib. & caus. morb. Tom. 2. epist. 42. Sect. 44.

(g) Ratio medend. p. 2. Cap. 2.

Hewson (h) aut ſubſtantiam oleoſam in celluloſa contentam uti placet *Grashuys* (i). Ut ut ſit, rariſſimum eſſe obſervatum nemo negabit. Caſusque varios forſan ſimiles aut analogos deſcriptos haberi, ſed vere eundem, quod ſcio, omnino nullum dant. Proxime ad illum accedere videtur, quod refert *van Swieten* (k) de urina purulenta ſine febri & ſine ullo prævio lumborum dolore, nec ulla mingendi difficultate. Aderat vero dolor obtuſus in latere ſiniſtro. Nec refertur ibidem, quamdiu duraverit talis excretio. Vidi etiam cum cl. *Tode* urinam purulentam poſt ſuperatum catarrhum in arthritico ſine febri, ſed cum dyſuria; quam deducit vir clariſſimus, a metaſtaſi, & catarrhum veſicalem nominare amat. Brevi vero ceſſavit hæc pyuria, quantitasque excreta longe minor fuit, ſiue in toto, ſiue in ſingulis excretionibus ſumpta.

(h) Experiment. inquiries.
(i) Differt. de generat. pur.
(k) Conſtit. epidem. Tom. I. p. 286.

XXXII.

XXXII.

OBSERVATA
CIRCA
FEBRIUM INTERMITTENTIUM DIUTURNARUM ET MALE TRACTATARUM SEQUELAS

AB

ANDREA BROEBERG RANÖE,

M. D. & Societatis Membro Ordinario.

Vix dari morbos infaustis feraciores sequelis quam febres intermittentes abunde testatur experientia: nec mirum, dum, ex una parte, diuturnum & pertinax malum repetitis ictibus attriti corporis oeconomiam lædat necesse est, ac tandem pessundet & destruat, & ex altera parte, vix contra ullum affectum tanta remediorum absurdissimorum, quid? quod nocentium quorumque laudata & in usum tracta fuerit caterva. En, paucis verbis, fontes, quorum jam alterutri, jam utrique

 socio,

ſocio natales, ni fallor, debet copioſiſſima toties que funeſta intermittentium proles. Hinc ortum trahunt tot hydropes, tot obſtructa viſcera, tot phthiſes, tot aliæ diræ lethiferæque miſeriarum cohortes, hinc etiam orta, quæ in caſibus, jam ante plures annos in noſocomio Fridericiano obſeruatis, & mox afferendis, ſuccincte enarrantur mala.

I.

In juvene, qui ſpiritum frumenti cum pipere ad febrem debellandam ingeſſerat, brevi poſt hauſtum deglutitum cephalalgia oriebatur, continua & tanto virium ſtipata decremento, ut lectum ſervare coactus eſſet æger. Evacuantia vero intra paucos dies hæc penitus fugabant *Symptomata.*

II.

Suppressam in foemina per idem remedium febrem inſecutus eſt dolor ultimarum vertebrarum dorſi conſtans, ſub motu ad latus utrumque propagatus, cum decubitu in latere ſiniſtro intolerabili. Venæſectione bina, camphoratis & cu-

curbitis

curbitis dorſo admotis, multo mitigantur hæc mala, quæ per tres menſes duraverant. Regioni vero hepatis, tum acute dolere & indurari incipientis, adplicito veſicante, redibat febris, evacuantibus brevi ſatis cedens, & tum plane conualuit ægra.

III.

Altera, quæ tertianam trium hebdomadum aceto, ſpiritu vini, pipere & aqua debellaverat, oedematoſum ſibi contraxit totius corporis tumorem cum fluctuatione abdominis ſatis notabili. Remediis diureticis, roborantibus, diapnoicis ac digeſtivis, ſub redeunte febre, adhibitis, primo cedere velle videbatur tumor, at inopinato de novo increſcebat, cum ſumma anxietate & orthopnoea, & motibus epilepticis correpta exſpiravit ægra.

In abdomine defunctæ aperto ſatis larga inveniebatur ſeri copia. Omentum, hepar, lien magnus & admodum mollis ubique cum adjacente concreverant peritonæo.

IV.

Spiritu vini deflagrato cum summitatibus absinthii abegerat altera tertianam recidivam. Mox accessit dolor crurum, cui sponte post quatuordecim dies cessanti, successit dolor abdominis circa umbilicum sæpe recurrens & cardialgiam inducens, hisce sibi dein junxerunt cephalalgia continua, orthopnoea, tremor extremitatis sinistræ tam inferioris quam superioris, ac dolor gingivarum & dentium sub masticatione. Emetico vero, digestivis & rhabarbarinis hæc omnia cedebant.

V.

Remedio, nescio quali, ex aqua frigida tollendæ febris ergo usus fuerat juvenis quidam. Aberat febris, at statim oriebatur cardialgia vehementissima ab ingestis adaucta cum hepatalgia & stranguria valde molesta. Hæc vero sustulere Venæsectio, Emulsiones nitroso-camphoratæ, linimentum volatile abdomini inunctum, fomentum ejusdem ex aceto calido ac infusum theiforme herbæ plantaginis aquaticæ.

VI.

VI.

FEBRIS intermittens ſex hebdomadum, irregularis temporis & typi, accedente tumore crurum ſiluerat, hoc vero ſponte euaneſcente iterum recrudeſcit cum tuſſi & aliquali oppreſſione pectoris. Datur digeſtivum, ſub cujus uſu miteſcit febris, intumeſcunt vero pedes. Ob tuſſim & orthopnoeam propinatur ſolutio gummi Ammoniaci cum oxymelle ſcillitico. Cortice dato, ceſſat febris, increſcit tumor, ac pertinaciter dolet hypochondrium ſiniſtrum. Porrigitur hinc Tinctura rhei aquoſa cum liquore ſalino, & ob expectorationem difficilem Kermes minerale. Minuitur dolor hypochondrii ſiniſtri, maxime cum, aliquot elapſis diebus, poſt levem tuſſim gelatinoſa multa, tenacia, pure & ſanguine mixta, cum parvo levamine orthopnoeæ, evomuntur. Inſequentibus diebus aliquoties ejusmodi per vomitum ejicit æger, at accedente Diarrhoea copioſiſſima ſub reſpiratione ſtertoroſa ſublimi moritur.

IN diſſecto cadauere pylorus adparebat contractus, ſubſtantiæ calloſæ valde craſſæ. Hepar induratum erat, lien admodum parvus. Cavitas

pectoris finiſtra ſeri ſanguinolenti ſatis largam continebat copiam, ejusdemque lateris pulmo plura habuit tubercula ſcirrhoſa, alter ubique cum pleura coalitus erat, uti cor exiguum cum pericardio.

VII.

Ascitidem vidi poſt febrem tertianam, neſcio quo modo tractatam, ſenſim per octo hebdomades increſcentem, cum fluctuatione abdominis inſigni & decubitu in latere dextro intolerabili. Ingeſta quæcunque moleſte expandebant abdomen ægri quadragenarii, fere plane conſumti. Diureſis parca cum urina craſſa quaſi ſanguinea. Paracentheſi abdominis quatuordecim emittebantur liquoris alboflaveſcentis, foetidi, libræ. Ingeſta tum melius ſufferebat æger. Porrecta fuere Diuretica optima, at ſubito poſt tres dies ſurrexit dolor abdominis totius, ſub quo ſumme debilis obiit miſer.

Ex aperto Cadaveris abdomine largiſſima effluxit liquidi foetidi, colorem & conſiſtentiam puris diluti habentis, copia. Omentum ubique peritonæo & inteſtino colo accretum erat. Hepar

invenimus

invenimus parvum indiſſolubiliter fere undique cum peritonæo coalitum, perdurum, tam in ſuperficie quam in ſubſtantia, quaſi e meris tuberculis duris conflatum. Lien magnus erat.

VIII.

VEXAVERAT quotidiana virum per novem hebdomades, cum crura intumeſcere incipiebant. Data digeſtiva ſprevit febris, cortici vero peruviano morem gerere velle videbatur, at interea grauis per totum corpus ſurrexerat Anaſarca. E Diureticis variis adhibitis nihil magis diureſin promovebat quam chryſtalli Tartari ad cochlearia duo minora ter quotidie aſſumti. At brevi iterum impeditur Diureſis cum incremento tumoris, & paucis elapſis diebus jam fluctuat abdomen. Datur Infuſum vinoſum amarum (a), dantur pilulæ

 ad

(a) *Infuſum vinoſum amarum.*
R. Rad. Aſari
Mechoacannæ albæ ſingulor. unciam dimidiam
Ari
Calami aromatici
Galangæ minoris ſingulor. drachmas duas
Herbæ Fumariæ Manip. unum
Folior. Sennæ ſine ſtipitibus unciam unam
Fibrar.

ad hydropicos completæ (b), datur oxymel e Colchico, cum parum aucta diuresi, at tum recurrit febris. Aucta licet diuresi increscit tumor abdominis: intercurrit hæmorrhagia narium larga: Varia propinantur remedia, at frustra. Instituta paracenthesi viginti septem ex abdomine effluxere seri citrini haud diaphani libræ. Vulnus paracenthesi factum dein sponte ruptum largissimam iterum ejusmodi seri emittebat copiam. At hoc uti reliqua omnia, proh dolor! frustra.

In abdomine mortui serum repertum nonnullum. Peritonæum, musculi abdominales & intestina tenuia livida, hepar parum induratum, glan-

Fibrar. radic. Hellebori nigri drachmas sex
Summitat. absinthii manipul. unum
Semin. foeniculi drachmas duas
Incis. & contus. digerantur cum vini albi libra una.
Dosis cochlearia duo majora mane & vesperi.

(b) *Pilulæ ad hydropicos completæ.*
℞. Saponis veneti semunciam
Juniperini
Pulveris scillæ compositi Stahlii
singulorum drachmam unam
Mercurii dulcis
Kermes mineralis
singulorum semidrachmam
F. c. Balsami Indici qv. suff. pilulæ
Pond. gr. duorum. Dosis V. Pilul. ter per diem.

glandulæ mesenterii magnæ, justo duriores. Cavitas sinistra pectoris sero albo, quasi purulento, plena erat & pleura ibidem rubra. Altera pectoris cavitas serum continebat sanguinolentum, ac liquoris pericardii copia aderat enormis.





XXXIII.

EXEMPLUM FALLACIÆ IN OBSERVANDA ET CONFIRMANDA REMEDIORUM FALLACIA,

Auctore I. C. Tode,

M. D. & Prof. Publ. Aulæ Regiæ Medico Soc. a litteris ad Exteros.

Britannus, annos circiter 29 natus, Hauniæ aduena, secum tulerat reliquias mali venerei tumultuarie curati. Laborauerat ulcusculis glandis & præputii, quæ externis potius quam internis medicamentis erant sanata. Leniora heic adhibuit mercurialia & antimonialia, sed sine perfecta symptomatum & metus ablatione. Affligitur tandem doloribus artuum nocturnis & præmagna tibiæ exostosi.

Meum jam sibi expetit consilium. Subjicio minime invitum salivationi moderatæ & usui decoctorum purificantium. Sic prorsus evanescunt & dolores & exostosis.

Sanatus

Sanatus cum ancilla copulam init illicitam, ſed foecundam, ſuoque tempore floridam atque quadratam puellam dantem.

Verum verſus hyemem recrudeſcunt dolores, attamen jam non diaphyſes, ſed articulos infeſtantes, per extrema vagantes, noctu exacerbati. Præ reliquis partibus carpi & metacarpi male habebant. Tumores ſimul in his articulis, uti & in fronte maxillisque prodibant, in notabilem magnitudinem ſubito excreſcentes & æque ſubito decreſcentes, illis, quos in rheumaticis & maxime in arthriticis toties conſpicimus fungorum fere inſtar propullulantes, perquam ſimiles.

Ægrotus malum venereum ſopitum nunc iterum ſuam tragoediam acturum ratus, nouam, pro more vel potius fato poenaque venereorum, efflagitat ſalivationem.

Objicio ego ſubitaneum ortum tumorum, ſummam eorundem cum tophis arthriticis analogiam, haud redeuntem exoſtoſin in tibia, abſentiam aliorum ſignorum labis venereæ, perfectam uxoris, cum qua jugiter rem habuerat, ſanitatem, ſobolis ab omni nota deliteſcentis virus immuni-

munitatem, levamen quod Guajacum attulerat &c.

Flecti nescius mercurium poscit, quem ut rite administraret alium medicum in consilium vocari rogo. Accedit Collega conjunctissimus Callisenius. Morbum haud evidenter venereum judicat; attamen ad tranquillitatem ægroto reddendam hydrargyrosin ipsi concedendam esse putat.

Strenue jam sese inungit ægrotus, validamque patitur saliuationem, nec sine egregio levamine. Disparent tumores, fugiuntque cruciatus nocturni. Neque tamen redit beata animi tranquillitas: idem malum iterum recursurum somniatur & meditatur miser conualescens.

Et reapse recurrunt dolores carpi & metacarpi & tumores frontis. Suadeo jam, ut exspectaret tempus vernum, quo aëre campano, exercitio & præprimis victu lacteo & vegetabili vti posset.

Rus petit desperabundus. At post aliquot mensium absentiam lætus & sanissimus mihi occurrit, summasque pro bono consilio gratias agit, & lacticiniorum laudes, me monitore, plenis buccis effert atque extollit.

Jam

Jam per biennium optima gauiſus eſt valetudine, & vix malorum perpeſſorum memoriam retinuit. Nuperrime vero, dum cum illo circa varias alias res colloquor, ingenue mihi fatetur, ſe non amplius diſſimulare poſſe, quod aliquando me deeepiſſet.

Dolores & tumores & quidquid morbi mercurius & vita ruſtica eradicare non potuerat, feliciſſime ſuſtulerat uſus ſpecifici cujusdam antarthritici, *Nortons Drops*, vel, *Maredants Drops*, dicti, a populari ſecum communicati.

Veritus eſt, ne ſibi male vellem propter hunc dolum; ſed ego lætiſſimus accepi novum hoc documentum, quam facile falli poſſimus ab ægrotis verum occultantibus, & quam cautos nos eſſe deceat in admittendis remediorum laudibus, tum maxime, quando nos ipſi horum ſuaſores fuimus atque patroni.



XXXIV.

XXXIV.

MEDITATIONES
DE
UTERO SUB GRAVIDITATE RUPTO ÆGROTA PER VI. HEBDOMADES SUPERSTITE,

Auctore MATHIA SAXTORPH,

M. D. & Prof. Publ. Societ. Membr. Ordinario.

HISTORIA MORBI.

DUM in findendis lignis ſedulo occupata fuerat foemina, jam per ſex menſes gravida, accidit, ut fruſtulum ligni, gravius quam commode ſuſtinere poterat, ab uno in alterum locum translatura eſſet; ſub quo infelici tentamine oneris moleſti elevatione acerbiſſimum, ac ſi omnia illi dilacerabantur viſcera, in regione lumbari perſenſit dolorem, quem anxio clamore & ejulatu, ſemianimis in terram dilapſa miſera indicauit: mox caſui inſequebatur animi deliquium & e genitalibus ſanguis copioſe fluere incipiebat:

cipiebat: in hoc ſtatu ab adſtantibus in lectum portabatur; poſt aliquod tempus paulisper ceſſare dolor & profluvium ſanguinis inceperunt; per XIV tamen dies lectum tenere cogebatur ægra, quibus elapſis, ſolita quidem iterum aggrediebatur negotia, ſed non ſine ingenti moleſtiâ & ægritudine, quin immo per ſpatium VI hebdomadum ſubindo & haud raro maximo cum impetu ex utero recrudvit hæmorrhagia, quæ ſumma corporis quiete & tranquillitate animi interdum ſublata fuit, immorigera interdum, adhibitis quamvis prudenter remediis antiphlogiſticis, acidis, opiatis nec non venæſectionibus vix obtemperavit. Hinc medicorum uſa conſiliis, lintea carpta aceto madefecit noſtra, & in vaginam intruſit; neque hoc ſucceſſit, ſed indies magis magisque nimia ſanguinis jactura debilitata Noſocomium, aſt nimis ſero, petere decrevit.

Vix limen Noſocomii intraverat puerpera, antequam de ſummo virium defectu, aurium tinnitu, viſus obſcuritate, & doloribus per aliquot dies de novo exortis, tergiverſantibus, & non nihil depreſſoriis conquerebatur miſera: pallidus

tunc

tunc erat faciei & labiorum color, pulſus frequens cum exillimo arteriarum ictu non raro deficiente micabat, frigus occupaverat artus, totusque adſpectus ægræ, mortis, quæ ſtatim inſequebatur, imaginem ante oculos poſuit.

Facta in hoc ſtatu vaginali exploratione indagavimus exiguam in orificio uteri jam jam adeſſe aperturam, digitum explorantem commode admittentem, intra quam corpus ſpongioſum orificio obvium diſtincte tangebatur, eodemque attactu ſanguinis pallidi aquoſi foetidique pauca copia ex utero effluxit.

Sine omni hæſitatione, fœminæ in lectum parturientium depoſitæ potiunculam analepticam porrexi, dum Obſtetrix ad partum perficiendum parata, blando modo orificium dilatabat uterinum, ut placentam e ſede ſua dilapſam, una cum foetu ſemiputri prope orificium hærente, eo citius extraheret; ſucceſſit ei operatio ſine magno negotio, foetusque absque ſanguinis jactura prompte educebatur, poſt partum abſolutum nulla uteri collapſi, quamvis injectione aquæ frigidæ ſæpius ſtimulati contigit contractio, ſed quæ adhuc ſupere-

rant

rant refractæ vires subito prosternebantur; venterque intumuit, ut lenissimum manus attactum ægerrime tulerit, donec sub atrocissimis per universum corpus sese extendentibus doloribus, fæmina, duobus vix a partu elapsis horis, e vita decessit.

Sectio cadaveris.

Curiosus de mortis causa indaganda viscera defunctæ foeminæ cum nonnullis auditoribus perscrutandi causa visitavi, in quem finem dissecto abdomine, cavitatem aqua foetida sanguinolenta plenam, intestina inflammata & prope uterum gangræna affecta, uterum ipsum totum inflammatum, & posteriori pagina a fundo ad collum usque magno hiatu disruptum inveni, labia ulceris undique sphacelata putridum spargebant foetorem; interioris superficiei uteri color, maxime qua posticam partem spectat, profunde rubens, in anteriori vero naturalis fuit. In fundo uteri vestigia apparebant quondam irradicatæ placentæ, quam oneris elevatione solutam & effluxu liquoris amnii ad orificium sponte dilapsam fuisse credimus;

 sine

ſine minimo adhæſionis cum ore uteri factæ indicio.

EPICRISIS.

INTER triſtiſſimos, qui gravidis & parturientibus eveniunt mortis & periculi caſus, certe annumeranda eſt uteri disruptio, quæ ex improviſo accidit huic foeminæ in ᴠ¹to graviditatis menſe conſtitutæ: cujus generalem ſi reſpicimus cauſam, merito violentæ & ſubitaneæ preſſioni uteri adſcribimus, ſive hæc ſolo fortiori inſpirationis nixui, quem maſculi abdominales in uterum plenum ejusque contenta, validiſſime ex omni parte reagentia, exercuerunt; ſive potius caſui debeatur, quem in terram prolapſa mulier experiebatur, dicere ambiguum eſt, nam utrumque *facile locum* habere poſſe, non denegamus.

NULLUM in graviditate, quantum ſcio, habemus exemplum rupturæ uteri, quæ ullo alio modo, quam vel per ſolam violentiam, vel per putreſcentiam foetus emortui, & gangrænoſum uteri ſtatum fiat, quæ ultimæ cauſæ, cum e ſymptomatibus gravidæ noſtræ contingentibus nullo modo adfuiſſe

adfuiſſe ſuſpicandæ ſunt, utpote quæ ſe ſatis bene per totum geſtationis tempus geſſerat, nullis moleſtiis obnoxia, foetusque motum haud obſcure perſentiſcerat, prima earum hinc ſtatuenda eſt, injuria ſcilicet ſola, qua uterum diſruptum eſſe concludimus.

INTERRA determinandum foret, utrum in noſtra foemina hæc injuria ex ſolo nixu fortiori, an potius e lapſu exorta ſit, quæ periculoſæ hujus uteri rupturæ anſam dederat?

SI ſenſui doloris, quem fæmina perceperat jam ante lapſum, quo rumpi ſibi omnia viſcera in abdomine putabatur, aliquid fidendum eſt, vix lapſui tribuenda eſt ratio, licet itaque minus frequens ſit, uterum vidiſſe ruptum per ſolam violentam vim muſculorum abdominalium ſub inſpiratione & nixu præternaturali, nihilominus omni exceptione majus eſt, eundem exiſtere poſſe, id quod modus crepaturæ aliorum viſcerum, ex interna cauſa premente ſæpius ortæ, delucide monſtrat: vomitu quis neſcit oeſophagum a ventriculo diſruptum fuiſſe, dolorumque in partu violentia uterum ipſum rupturam egiſſe, quin imo lienem

 enor-

enormis magnitudinis ſub doloribus partus validioribus disruptum in cadauere foeminæ cujusdam in puerperio exſtinctæ ipſe vidi, ne dicam de pluribus crepaturæ viſcerum exemplis, quæ abunde nobis ſuppeditant morborum hiſtoriæ; hanc meam ſententiam affirmavit olim PLATNERUS (a) generaliter aſſerens. " Ex violenta abdominis compres" ſione viſcera incluſa rumpi, lacerarique, *ita* " ut, effuſo omni ſanguine, cita mors ſequatur."

NON tamen negandum eſt *faciliori modo* explicandam fore rupturam uteri in hac fæmina, ſi lapſum pro cauſa aſſumamus; tali enim externa violentia ſæpiſſime uterum in graviditate, ſalvo abdomine, ruptum fuiſſe obſervavit obſtetricantium cohors; verum hanc cauſam in noſtra foemina vix ulla cum certitudine *ſtatuendam eſſe* credimus, cum ex narratione illius nullum e lapſu, ſed ante lapſum omnem perſenſerat dolorem, niſi forſan, quod ſub lapſu inſequebatur animi deliquium, ita obfuſcaverat ſenſum doloris, quem lapſu perciperet fæmina noſtra, ut ejusdem plane expers permanſerit: quicquid etiam ſit, ſtatuere

absque

(a) Inſtitut. chiturg. §. 717 not. a.

absque errore possumus rupturam ex violenta compressione quomodocunque etiam facta in uterum repletum originem traxisse.

Ast rupto in partu utero, foetum, inter viscera abdominalia per plagam utero inflictam non raro devolutum fuisse vidi ipse, videruntque alii observatores, id quod in nostra fæmina non observatum fuit, utpote quæ post lapsum fatalem superstes adhuc per VI hebdomades fuit sine foetus ex utero elapsu: Nonne itaque ex absentia hujus phoenomeni dijudicare liceat, uteri totius substantiam, non ita perforatam fuisse ab initio quin potius externum ejus involucrum, quod a peritonæo habet, salvum adhuc & integrum habuerit, id quod olim in alia uteri ruptura similiter contigisse vidi, ita ut sola hujus integritate foetus in utero remanserit. Quod si hoc statuimus, facile quisquam putaret uterum in partu sub ipsa foetus extractione primum rupturam egisse, tristissimumque obstetrici facile imputaret malum, id quod jure meritoque negandum est: Imo enim operatio sine minima violentia, quin imo sine manus in uterum ipsum introductione peragebatur, 2do gan-

grænofus uteri ftatus ftatim a morte vifus, labiaque vulneris fphacelata monftrarunt clare rupturam olim exftitiffe, fola vero externa uteri membrana forfan eo usque indiffoluta fuit, donec uteri contractionibus in partu demum dilacerabatur.

Cum vero incerta funt & valde æquivoca ad hunc terminum graviditatis occurrentia *figna*, quæ factam rupturam uteri indicant, nemo unquam, quamvis præfciret lapfum, poft tam longum temporis intervallum ex folo animi *deliquio*, quod cafum infequebatur, uterum fuiffe disruptum divinaret, quis crederet foeminam tam fortiter vulneratam non modo fuperftitem fore, fed absque gravioribus fymptomatibus tamdiu immunem vixiffe, nullam itaque in re tam dubia & incerta, præter allatam fuperfuiffe methodum parturientem noftram fuccurrendi & rite opitulandi credere fas eft.



XXXV.

XXXV.

RELATIO EPIDEMIÆ BILIOSO-NERVOSO-PUTRIDÆ IN CLASSE REGIA AC NOSOCOMIO NAUTICO

ANNO 1781 GRASSANTES.

UNACUM

OBSERVATIS CIRCA EFFECTUM CAMPHORÆ DOSI CONSUETIS LONGE MAJORI DATÆ ET SEMINUM SINAPEOS ANGLICANI INTUS SUMPTORUM

COLLECTA ET REG. SOC. M. H.

COMMUNICATA PER

H. CALLISEN,

Med. Doct. & Pr. P. Soc. Memb. Ord.

ÆSTATE præterlapsa morbi mixti genii in classe Regia atque Nosocomio marino grassabantur, sub larva biliosæ febris invadentes, mox symptomata nervosa, mox putrida, iterum ex

ambolus complicata assumentes, denique dysenteria morbum claudebat: Succinctam hujus Epidemiæ historiam Societati communicare haud incongruum judicans, sequentem luctantis naturæ vestigia pressus, condidi relationem.

Adnunciabat sese febris sensu lassitudinis, defectu adpetitus, flatibus ac repletionis sensu in Epigastrio ac Hypochondriis; interdum Diarrhæa per aliquot dies antecedebat febrem, ut plurimum comitabatur eandem; apud nonnullos torminosa erat; sæpe intra paucos dies sistebatur; In aliis per totum morbi decursum durabat. Symptomata febrilia perraro in initio gravia erant, ut plurimum ad 7. s. 9 diem increscebant, deinde decrescebant communiter. In multis aut ante Diarrhæam aut cum eadem accedebat vomitus materiæ tenacis biliosæ, excrementa quoque biliosa erant ac valde foetida. Sub febris incremento lingua erat mucosa, deinde flava biliosa, postea arida ac denique nigricans evadebat, quo gravior Diarrhæa eo citior hæc mutatio; ægroti in universum admodum sitientes valde potum frigidum acidulum appetebant avidissimi. Sensus repletionis in Epigastrio

suc-

ſucceſſive tranſibat in dolorem preſſorium, reſpirationem anguſtantem, 8 ut plurimum vel 10 diebus perſiſtentem. Ægroti complures dolore gravi lumborum ac femorum adficiebantur, minus attamen conſtanti, quam Cephalalgia, primo ſinciput, deinde occiput occupans. Quod ſi febris vehemens, ac diarrhæa mitis vel omnino nulla aderat, tertio ſ. quarto morbi die delirium non raro accedebat furioſum cum vigiliis, circa 5 ſ. 7 diem ſenſim in ſtuporem deſinens cum diminuta febri. Mitiorem febrem in univerſum gravior diarrhæa, ac delirium haud ita vehemens comitabatur, tamen ſuccedebat levis ſtupor, cum deminutione febris vix notabili, ad criſin fauſtam vel ſiniſtram usque perſiſtens.

Cutis primis morbi diebus arida erat, nonnulli tunc ſudore gravi perfundebantur, quo tamen haud levabatur morbus ſed gravior e contrario ac longior evadebat. Lenis contra hæc tranſpiratio levamen afferebat, & novo diarrhoeæ, brevi in dyſenteriam abituræ, inſultu non interrupta ſanationem promittebat. Interdum tamen hic ſudor, calida inprimis tempeſtate, purpuram adducebat, quæ

 quam-

quamvis, si serior accedebat, haud periculosa erat, longiorem attamen morbi durationem præsagiebat.

Omnium ægrotorum, qui de navi bellica Indføds-Retten (Jus Indigenatus) post reditum de promontorio bonæ spei ad Nosocomium deferebantur, symptomata in universum multo graviora erant quam in omnibus reliquis; In his purpura jam primis morbi diebus, verosimiliter ob scorbuti a longo itinere orti cum morbo mixtionem, accedebat, quæ intra paucos dies in bullas magnas brevi gangrænosas levabatur, quibus ruptis ac ichore foetido evacuato in ulcera mali moris mutabantur; in omnibus his vomitus ac diarrhoea post purpuræ eruptionem mox cessabant, absque fracta vehementia febris. Interdum cum haud raro absque hac eruptione accedebant Petechiæ insolitæ sæpe magnitudinis ac adeo copiosæ, ut in circumferentia ad spatium manus extensæ respondente vix interstitia cernerentur a maculis petechialibus immunia; frequentiores attamen hæ occurrebant mensibus Septembris, Octobris ac Novembris quam calidioribus æstatis mensibus.

In

In plurimis color cutis ut & unguium in principio morbi subflavus icteritius mutabatur in coeruleum. Cutis ad attactum frigida in nauticis e navi Indføds-Retten, jam 7 s. 9 die accedens, sinistrum morbi eventum præsagiebat.

Urina in morbi initio flava quasi croco tincta clara erat, sæpe quinto s. sexto die turbida sedimentum deponebat lateritium, rarissime in hoc stadio morbum levans, quin unico potius vel duobus diebus solummodo persistens; his finitis limpida aquosa citrina observabatur ad 15-17 morbi diem usque circa quod tempus nubeculas dabat, turbida fiebat, ac denique novum jam deponebat sedimentum lateritium. Similis urina jam diebus compluribus missa, una cum levi decumbentium sudore assiduo, spem dabant brevi futuræ absque dysenteria reconvalescentiæ ratam. Contra hæc si sudor interruptus aut in nonnullis corporis partibus solummodo aderat, aut sedimentum urinæ disparebat, dysenteria sequebatur, aut, quæ longe pejores, agmen malorum claudebant convulsiones funestæ, sensim increscentes, quæ haud raro efficacissimis licet remediis adhibitis, ægrotos e medio tollebant.

E contrario convulſiones citius advenientes, circa 8-10 morbi diem viſæ, mitiores in genere erant ac remediis adaptatis facilius domandæ. Morbus poſt has faciem febris nervoſæ induebat, absque tamen ut ideo excluderet dyſenteriam, quæ nonnullos potius, qui critica urinæ depoſitione jam multum levati erant, & alios qui jam plane ſanati videbantur, & ad recuperandas vires Helſingora ad Noſocomium Haunienſe delati erant, corripiebat; hi aut perfectam denique ſanitatem recuperabant, aut tot ictibus ſuccumbebant.

Non in omnibus tamen Symptomata putredinis ceſſabant accedentibus Symptomatibus nervoſis; lingua quamvis purior, excrementa non ita foetida, ſtupor minutus, & eruptio cutanea in ulcerationem gangrænoſam prona non tanta vehementia aderant; omnia hæc minori tamen gradu ſubſiſtebant e. g. a decubitu, maxima quamvis munditici cura adhibebatur, facillime ulcera gangrænoſa oriebantur; Urina, quamvis ſedimentoſa, odorem foetidum ſpirabat, neque Petechiæ, vibices, ac coeruleus cutis unguiumque color aberat; in his vix ulla Criſis, vel, ſi aderat, imperfecta accedebat

cedebat & fere ſemper per dyſenteriam inſecuta in illis præcipue qui aut in univerſum habitus debilis aut morbo valde exhauſti erant.

Quotquot durantibus adhuc febris vehementia ac ſtupore dyſenteria invadebat primis diebus parum conquerebantur, dejectiones ſanguinolentas foetidiſſimas involuntarias paſſi. Intra paucos dies autem accedebant tormina ac tenesmi vehementes continui, cum aliquali augmento febris. Hi ſub increſcentibus indies Symptomatibus debilitatis ante 12 dyſenteriæ diem fere omnes moriebantur.

A febre vero reconvaleſcentes dyſenteria correpti, ante tenesmi adventum conquerebantur de torminibus, appetitus defectu, nauſea, ſiti, ſapore oris ſubamaro foetido, abdomine expanſo, inquietudine. Accedebant tunc dejectio alvina frequens aquoſa, mucoſa, foetida, tenesmus, ſanguinolentæ materiæ ejectio, nonnullis quoque delirium. In his ſanguinolenta dejectio ad 5-7 diem plerumque diminuebatur, liquida tamen fluebat alvus ad 3-4. immo ad 6tam hebdomadem. Hi in univerſum denique ſanitatem recuperabant, minuebantur ſenſim tenesmus, foetor

ac

ac tenuitas excrementorum, redibant excrementorum consistentia, adpetitus, somnus, vires, sanitas. Unicum febris lenta invasit & Hydrops 21 morbi hebdomade morte terminatus.

Prognosis quoad diversam morbi faciem varia erat. Si ante ipsius febris adventum per aliquot tempus signa debilitatis aderant, symptomata putrida, delirium ac stupor magis metuenda erant, febris intensior, crisis magis perfecta, vitæ discrimen minus, ac raro tunc insequebantur symptomata nervosa ac dysenteria.

Exceptis tamen ægrotis nauticis navis Jydske-Retten, in quibus omnia symptomata in universum longe gravissima erant, omnesque ideo sub maximo vitæ discrimine versabantur.

Ante 6tum diem accedentes diarrhæa, sudor, urinæ sedimentum, frangebant quidem morbi vehementiam, sed intempestive simul vires ægroti & ob imperfectam crisin symptomatibus nervosis ac dysenteriæ ansam dabant; mali ominis signa inde merito habebantur.

Symptomata nervosa ante nonum s. undecimum morbi diem advenientia mitiora in univer-

sum

ſum erant ac facilius remediis cedebant, quam ſerius advenientia, e quibus vix ægrotantium ullus evaſit.

Febris ultra 18 diem protracta & ſymptomatibus ſtipata putridis ſive nervoſis, vel ex ambobus mixtis, imperfectam criſin per urinam ac ſudorem ad dyſenteriam inſecuturam præſagiebant. Dyſenteria imperfectam criſin ſequens ut plurimum ſanabatur, absque prægreſſa quadam ejectione critica fere ſemper lethalis erat.

Vomitus bilioſus ac diarrhæa in initio morbi per plures dies ſubſiſtentes, ſi non ſudore forti ac urina ſedimentoſa criticam mentiente, nec purpura veſiculata, nec ſubita febris remiſſione exciperentur, criſin perfectam per urinam ac ſudorem absque inſequente dyſenteria præſagiebant.

Bona criſis inter 14 & 18 diem accedebat, maturior aut ſerior accedens, imperfectam morbi ſolutionem ac ejus protractionem indicabat.

In initio morbi ſemper ad eliminandas primarum viarum ſordes emetica ac laxantia adhibebantur. Statim inde dedi emetico laxans e tartaro emetico in decocto laxanti diſpenſatorii Danici ſoluto,

luto, cum infuſo Chamomillæ huic ſuperbibendo; poſtero mane Ipecacuanham c. Rheo ac tempore pomeridiano nonnullas doſes. Cremoris Tartari cum Rheo ac Camphora nupti porrexi, juſſique, ut per tertium & quartumdiem ſive ad ſenſibilem linguæ depurationem usque, diminutosque vomitum, dolorem in Epigaſtrio preſſorium ac diarrhoeam, iisdem inſiſteretur remediis: Poſt interjectos aliquot dies interdum vomitum revocavi per iteratum Tartarum emeticum. Lenia tunc diaphoretica, pulveres ſcilicet e Crem. Tartari Nitro & Camphora compoſiti, vel tenuis Tartari emetici ſolutio ſ. mixtura acida camphorata, diſpenſatorii Danici Julapium e camphora quavis hora ſ. quovis bihorio porrigebatur ægrotis, potu frequenti acidulo haud omiſſo. Congeſtiones ad caput ac *deliria* haud raro capillorum abraſionem, epithemata capitis frigida, liberum aëris acceſſum ac veſicatoria ſuris adjicienda poſcebant.

Symptomata putrida graviora hujus Epidemiæ ſolis cedebant remediis antiſcepticis. Quamvis Cortex Peruvianus in epidemia vere putrida anni præcedentis ſpem meam valde fruſtraverat; juxta

juxta obſervata Regiæ huic ſocietati tunc temporis per me communicata, tanto attamen minus hæſitavi novo iterum exponere periculo vires remedii, noſtro Seculo facile principis, tot totiesque laudati, dum fomes putridus in hac epidemia primas præcipue vias occupare, ſeu easdem verſus ſaltem dirigi videretur. Hujus adeo Corticis uncias unam ad quatuor dedi in forma Pulveris, Decocti vel infuſi, pro re nata intra Nychthemeron conſummendas. Equidem putredo vi Corticis quaſi minuta apparuit, vires vitales autem vix vel omnino non refectas hujus ope vidimus: Pulſus minor ac celerior evadebat, faciem febris nervoſæ induebat morbus & aut convulſionibus ſuccumbebant ægri aut criſis imperfecta & deinde Dyſenteria ſequebatur. Corticem ergo tot ſplendidis encomiis ex quaque orbis ora reſonantibus celebrem in hac etiam Epidemia omiſi audax, confiſus viribus Mixturæ acidæ camphoratæ, diætæ confortanti antiſcepticæ & laxantibus interpoſitis quousque febris aderat ſat fortis: Quotiescunque autem cum aucto torpore febrem ultra modum diminutam percepi, ad remedium confugi excitans,

antiſcepticum eximium, mihi ſemper longe efficaciſſimum viſum *Pulverem* nempe *Semin. Sinapeos Anglicani.* Hoc pulvere a dimidia, ad tres uncias ſpatio Nychthemeri conſummendas, putredinem ſupprimere contigit & febrem ad bonam & perfectam Criſin usque ſuſtinere. Coactus autem plus vice ſimplici per dira tormina abdominalia ab ingeſto ſinapi aucta, remedium, efficaciſſimum alias, ſeponere, vim antiſcepticam, exitantem atque ſedantem *Camphoræ majòri præ ſolitis doſi datæ* contra hunc morbum tentare decrevi. Ordinavi igitur Pulveris Camphoræ gr. X ad Drach. dimidiam tertia vel quarta quaque hora ſumenda, quin ægrotantium immo unus & alter æqualem doſin ſingulis horis deglutivit. *Quamquam* effectus tantam Camphoræ Doſin inſequens ſibi non in omnibus ægris perfecte ſimilis obſervabatur, ſequentia attamen Phoenomena certa notavi. Singulas doſes Camphoræ majores deglutitas mox ſequebantur notabilis diminutio caloris cutanei, pallor cutis, obſcuratio viſus, reſpiratio frequens laborioſa, pulſus minor crebrior inæqualis & intermittens, interdum accedebant

rigores.

rigores. Semper insequebatur mutatio pulsus ac respirationis, reliqua sæpe aberant, post maximam quoque dosin assumtam, interdum omnia post minimam dosin magno gradu aderant. Omnia hæc Symptomata cito & subito oriebantur, breve evanescebant, nec continuato licet remedio ultra horam dimidiam protrahebantur unquam. Deinde pulsus vibrabat tardior regularis & distincte major quam ante assumtam Camphoram fuerat, respiratio fiebat libera, cutis paulo ante frigida & pallida jam calida tangebatur, rubicunda apparebat, oculi naturalem splendorem reassumebant; tremores ante vel mox post sumptam Camphoram præsentes evanescebant. Stupor cessabat & ægrotus mentis iterum compos observabitur. Convulsiones si adfuerant cessabant, & ægrotus pro indole virium membra libere movebat. Hæc rerum facies, nisi reiterabatur remedium solummodo 2 solum vel 3 horis perstabat, tunc in pristinum statum relabebantur ægri. Sequentium dosium effectus solummodo quoad circulationem & respirationem sensibiles, citius evanescebant quam post priorem dosin assumtam. Reme-

dium si solummodo bis vel ter datum erat, raro ulla alia symptomata, quam ea quæ priora duo stadia febris intermittentis, frigus nempe & calorem siccum comitari solent, insequebantur; continuato vero pro symptomatum vehementia remedio, tertium febris intermittentis stadium, eductio nempe materiæ per urinam ac sudorem sequebatur. Non in omnibus quidem simili modo sese manifestabant symptomata; in nonnullis sudor vehemens ac urina critica per aliquot dies continuantes brevi morbum terminabant.

Plures urinam mittentes criticam simul in lenem incidebant sudorem, interdum per integros 14 dies continuum, quibus lente quidem frangebatur morbus & sanitatem recuperabant, plus attamen madefacti ac viribus *magis destituti*, præ reliquis, qui longiorem morbum perpessi, nulla Camphora usi erant. Nihilominus tamen intra breve tempus vires redibant ac sanitas pristina.

In aliis denique effectum hunc optatum attingere non potui, præcipue si, quod proh dolor sæpius accidit, ægroti primo vel secundo morbi stadio jam præterlapso & haud raro neglecto, ad

Noso-

Nosocomium mittebantur, incidebant tunc vel in Dysenteriam, vel etiam ante hujus accessum moriebantur.

Ægrotorum, qui febre epidemica nondum judicata vel post imperfectum crisin ejusdem Dysenteria corripiebantur, curam ab emeticolaxantibus ex Ipecacuanha & Rheo repetitis plus vice simplici incepimus, perfecimus deinde refractis dosibus Ipecacuanhæ & Rhei cum Crystallis Tartari commixtorum, junctisque in partes socias diæta mucilaginosa acida & summo munditiei studio. Nec raro simplex hæc methodus votis respondit. Sæpe vero dejectio sanguinolenta ac imprimis tenesmus adeo increverunt, ut diu noctuque absque remissione ægros cruciantes, usum opii versus noctem suaderent, quod ægrotos quidem paululum reficiebat, donec post paucas horas morbus aucta vehementia redibat. Tonica antisceptica inde in usum vocavi uti Simaroubam, Cascarillam, Corticem Peruvianum, terram Catechu, immo in nonnullis aluminosa; In nonnullis haud plane viribus destitutis sistebatur malum, plurimi continuante morbo tabidi moriebantur. Rebus ita stan-

tibus vires radicis Gei urbani experiri ſuaſit amiciſſimus Doctor Buchhave, qui ipſe portionem propria cura collectam benevole nobis communicavit.

Primum hujus remedii periculum feci in ægroto qui a febre reconvaleſcens per *integros* octo dies Dyſenteria laboraverat. Huic inquam præſcripſi Radicis Gei urban. unc. 1 coquendam cum aquæ ſimplicis unc. xvj ad remanentiam unc. x. Colaturæ cochleare majus omni hora ſumſit cum interpoſito potu mucilaginoſo, tanto quidem cum effectu, ut ſequenti die levamen perciperet æger, teneſmus & dejectiones cruentæ, omniaque in univerſum ſymptomata intra paucos dies mitigarentur, *modo Diarrhoeam* excipias exſanguem, rebellem, demum Pulvere radicis Gei ad drachm. ſ. ſexies in dies deglutitam domitam. Hoc ſucceſſu inſtigatus pluribus Geum dedi, nec inficias ire poſſum, hoc remedium in illis, qui a febre convaleſcentes Dyſenteria corripiebantur inter omnia alia adhibita, optimum effectum, præſtitiſſe. Contra hæc Dy-

ſenteriæ,

ſenteriæ, quæ vigente adhuc febre ægros invaſit, radicem Gei urbani, & reliqua quæque remedia oppoſuimus fruſtra, quippe quorum vix unus & alter evaſit.

XXXVI.

DE EXIMIA OPII VIRTUTE ANTIVENEREA OBSERVATIONES VARIÆ, CUM REGIA SOCIETATE COMMUNICATÆ

A

J. Clemente Tode,

M. D. & Prof. Publ. Aulæ Regiæ Medico, Soc. a litteris ad Exteros.

Annus fere præterlapſus eſt, ex quo Ill. Delius publici juris fecit literas a Cl. Schoepf, Medico Caſtrenſi Germano novo Eboraco Erlangam miſſas, in quibus auctor de ægroto venereo Opii uſu, non ſtudio & opera, ſed coeciſſimo caſu ad lætiſſimam convaleſcentiam perducto & feliciter ſanato, pluribusque ejusmodi ægrotis eadem medicina a crudeliſſimo foediſſimoque malo liberatis narrat. Hujus libelli, lectu ſane digniſſimi argumentum, quatenus mirabiles illas curationes ſpectat, totum inſerui *Bibliothecæ* meæ *medico-chirurgicæ*,

gicæ, ejusdemque brevem mentionem injeci in *Novellis* meis *ad salutem publicam facientibus*. Sic res ad omnium bonorum medicorum in patria nostra praxin exercentium notitiam pervenit. Ad unum tamen omnes mirificis illis curationibus parum credidisse videntur, novumque inventum forsan apud nos foetus præmaturi instar ante diem oblivioni datum fuisset, nisi illud ad trutinam experientiæ revocasset ingenuus æque ac cordatus Vir, Cl. Sibbern, ad eam instituti ptochotrophici partem, cui ego medicus constitutus sum Chirurgus, sicque mihi & commilito & amicus.

Hic Opium ad modum a Cl. Schoepf propositum variis venereis in Sophronisterio, Börnehuus dicto, propinare fausto conatu ausus est, nec ipsum poenituit tanta pericula fecisse. Quum paullo post ex officio ægrotos ejus loci visitarem, volupe mihi fuit non solum de tracto in usum opio, verum etiam de egregia ejus in sanandis malis syphiliticis efficacia certiorem & insperati, quinimo inauditi & vix credibilis euentus testem autoptem fieri. Propriis nempe oculis perlustravi duos ægrotos hac medicina curatos in optima con-

valeſcentia jam conſtitutos. Rogavi experimenti auctorem, ut coeptam viam ſtrenue pergeret & quoticujuslibet ægroti novo hoc remedio tractati hiſtoriam literis conſignaret. Frequentius redii & quemlibet curatum examinavi. Adeo ut inter ſanatos mox adducendos nullus ſit, quem ego non perluſtraverim. En autem Epitome obſervationum. Loquitur ipſe SIBBERNIUS.

Joannes Lundgreen, annos XXXIII natus, die XXVI Jan. h. a. inter ægrotos receptus eſt. Totum corpus ulceribus venereis & tumoribus parvis profunde rubentibus & cruſtoſis obſitum erat. Facies maxime & genitalia horribilem in modum defoedata. Foetor teterrimus, adeo ut reliqui ægroti, ferendo carcerum ſqualori & putori quantumcumque conſuetudine pares facti, illum ferre vix poſſent. Stragulos ichore omni mane ſcatebant. Fauces occupabant ulcera profunda. Cæterum nulla exoſtoſis, nulla gonorrhoea. Præmiſſo purgante ſtatim propinavi Opii bina grana mane & veſperi. Sudor inde copioſus & ſomnus, quo per longum tempus non fruitus erat, palpebras denuo viſitabat. Doſin

Opii

Opii gradatim ita auxi, ut initio Martii ſex grana bis in die devoraret æger; ulterius procedere nec auſus ſum, nec res umquam exegit.

FELICITER ſanatus hic ægrotus ſanis nedum adſcriptus eſt, utpote ſcabie jam correptus.

Sophia Ritgers, annos XXIV nata, & prægnans, ulceribus faucium & genitalium, uti & condylomatibus laborabat. Propter grauiditatem Opium minus tutum ratus, Pulverem alterantem dedi, vix tamen notabili cum ſucceſſu. Puerum paullo poſt enixa eſt, ab omni infectionis venereæ nota plane immunem; quem poſt menſem convulſiones e medio ſuſtulerunt. Superatis puerperii periculis, ſub initio Februarii Opium porrigere coepi, eadem ratione ac ſupra dictum. In hujus uſu perrexit per quatuor menſes: perfecte ſanata diſciplinæ iterum tradita eſt die VII Junii. Elapſis tribus ſeptimanis dimiſſam denuo perluſtravi, nec ullam renaſcentis mali notam in illa deprehendi.

Regina Willing, & *Catharina Maria Dyſtrup*, ambæ quartum ætatis luſtrum nuper emenſæ ſimilibus ſed numeroſioribus ulceribus & ex-

cre-

crescentiis ac *Sophia Ritgers*, deturpatæ erant. Mense Novembris inter ægrotas receptæ, præmisso laxante Opium sumere coeperunt. Initio Januarii ad grana sex bis in die aucta erat dosis. Die V Aprilis *Regina Willing*, & die XVII *Catharina Maria Dyſtrup* dimissæ sunt, ambæ sanatæ, ab omni recidiva liberæ hactenus ambæ.

Joanna Catharina Petri filia XX annos nata mense Decembris a. p. in cubiculum ægrotis venereis dicatum admissa, tantis cruciatibus in partibus genitalibus adfecta erat, ut lamentatione & gemitu lenimen efflagitaret. Innumera montis Veneris ulcera in unum veluti cauum confluxerant, vehementi phlogosi stipatum. Reliqua genitalia excrescentiæ & ulcuscula obsidebant. Mox ad Opium confugi, sicque intra paucos dies inflammationem ac dolores domavi. Ulcerationem tamen in monte Veneris per aliquot hebdomades non adeo coercere potuit remedium quin in viciniam excurreret. Sed Opii dosi sub initio Januarii ad grana sex aucta omnia ex sententia cedebant. Die V Aprilis dimissa est hæc mulier; sed coram Instituti Præfectu sese nedum sanatam esse

ad-

adfirmans, hincque accuratiſſimæ perluſtrationi ſubjecta, invento nullo labis venereæ documento, fraudem fateri coacta eſt.

Botildis Margareta Bertels, *Carolotta Amalia*, & *Anna Margareta Henrichs*, omnes inter XX & XXX annos natæ, ulceribus genitalium laborabant. Harum duæ poſteriores jam die XVII Maji ſunt dimiſſæ, prima autem die VII Junii. Omnes hactenus optime habent.

Sophia Carolotta Henrichs, XXIII annorum, *Anna Maria Georgii* filia, XXV annorum, *Barbara Zimmermann*, LII annorum, omnes menſe Maji receptæ adhuc Opium ſumunt. Priores duæ ulceribus genitalium & verrucis adflictæ ſunt; poſtrema autem præter ſimilia mala etiam condylomata foediſſima, ulcerea faucium & narium habet. Illas intra menſis ſpatium ſanatum iri confido; at iſta hydrope jam correpta eſt.

Quam primum hydrops ſeſe manifeſtabat, ſudor, ſolitus Opii effectus, ſupprimebatur. Hunc ut reſtituerem, Camphoræ aliquot grana quotidie propinavi, nec ſine ſucceſſu. Attamen tumor vix imminutus eſt. Diuretica efficaciora fore non

eſt

eſt quod dubitem; ſed iſtis Opii vires medicatrices forte impediri poſſent.

Modum agendi hujus medicamenti quod attinet, ſudorem potentiſſime movet, præcipue tempore matutino, qui ſimul ingratiſſimum ſpirat odorem, quod quoque de urina, ceteroquin non raro valde mucoſa, valet. Somnus totam noctem & omne tempus antemeridianum ægrotos occupabat; facili tamen negotio inde excitabantur. De dolore capitis nullus conquerebatur, præter *Sophiam Ritgers*, quæ poſtremo curationis menſe congeſtionibus ſanguinis verſus caput adficiebatur, unde ſingula venæſectione liberata eſt. Alvi beneficio fere numquam non gaudebant omnes.

Notatu autem digniſſimus eſt remedii effectus in pulſum. Hunc frequentiſſime & ſedulo exploravi, parvum, inordinatum, contractum, tardum ſemper inveni. Numquam plus quam ſexageſies in minuto primo arteria micabat. Aucta doſi nec tarditas nec parvitas nec reliqua deviatio pulſus augebatur. Sepoſui aliquoties Opium: & tunc pulſus ad naturæ normam ſeſe recipiebat, liberior, major, frequentior evadebat, ſudore autem mox recedente.

Joannes

Joannes Lundgreen, *Joanna Catharina*, *Botildis Margarreta*, *Carolotta Amalia*, *Anna Maria Henrichs*, *Sophia Carolotta*, *Anna Maria Georgii* filia & *Barbara Zimmermann* nullum omnino hydrargyrum ſimul in uſum traxerunt.

Alium caſum oppido memorabilem, quem idem Chirurgus experientiſſimus mecum communicavit, enarrare liceat.

Juvenis XXV annorum, poſt prægreſſos varios adfectus venereos a locali infectione oriundos, varia medicina curatos, veram deinde reportat Luem. Naſi partes interiores palatumque ulceratione corripiuntur, frontis confinia corona deturpat venerea. Caries tandem palatum perforat, ſpongia lamellæ argenteæ affixa foedum obturat hiatum. Ulcera vero has partes depaſcere pergunt: caries os maxillare ſuperius ſuffodit, adeo ut ſub mea cura proceſſus orbitalis illius oſſis totus exitum ſibi paraverit, os denique vomeris perinde totum carie abſumptum ſit. Peritiſſimi ſane Medici tentauerant quidquid comprobati ars hactenus habuit & præſcripſit. Per novem menſes continuos varia forma adminiſtratus erat Mercurius,

curius, ſalivatione modo larga, modo temperata. Tandem rumor de effectibus Opii in Sophroniſterio comprobatis ad medentes perinde ac ægrotum pervenit. In auxilium vocatur Cl. SIBBERN. Videt & obſtupet miſerrimum juvenis ſtatum. Extenuatiſſimum cernit corpus, fauces palatumque foediſſimis ulceribus ſcatentia, a deglutito, quantumcumque blando liquido crudeliter dolentia. Lactis dudum pertæſus erat miſer. Decocti Sarſaparillæ lacte remixti hauſtum propinat SIBBERNIUS, ſed convulſiones fere adducit experimentum. Modica doſi primum obtulit remedium; omni hebdomade granum unum addens, tandem ad ſex grana adſcendit perinde uti in prædictis. Poſt menſem ulcera faucium jam minus impura apparebant, tranſitumque allati *decocti ferebant.* Sic læta convaleſcentia incipiebat, & lento quidem ſed firmo fauſtoque greſſu ita procedebat, ut ægrotus, de quo ſervando ne minimam quidem ſpem conceperat amicus meus, jam optime habeat, ſomno, appetitu, ambulatione &c. inſtar ſani gaudeat. Amiſſus vomer, amiſſa oſſa ſpongioſa inferiora non obſtant, quin ſine cacophonia loquatur.

loquatur. Uvula propter cruris dextri consumtionem versus sinistrum latus retracta apparet.

Mense Martii curationem suscepit, medio Julio sanato valedixit Sibbernius. A primo die Maji inde ad XVImum Julii omni mane & vespera integra sex grana Opii devoravit æger, ita ut sub tota curatione sumserit 1140 grana Opii.

Primis septimanis soporosus fere jacebat, nec adeo facile quam reliqui expergesiebat. Obstructioni alvi etiam obnoxius erat, cui vitio clysmatibus occurrebatur. Redibat tamen ventris beneficium cum redeunte facultate deglutiendi & in sella aliquot horas transigendi. Interdum lene dabatur laxans ad eliminandam saburram purulentam & mucosam deglutitam. Uberrime sudabat, quod forsan summæ ipsius debilitati adscribendum est. Sudor non secus ac urina vehementer foetebant: multam quoque mucaginem ista secum vehebat. Sub curatione eruptio prodibat albida, sicca, squamularum forma decidens, brachia & manus potissimum infestans.

HÆC a Cl. SIBBERNIO accepi: ſubjungam nonnulla obſervata amiciſſimi WINSLOVII, in Noſocomio *Fridericiano* Chirurgi primarii.

VIDIT ille ulcera pinnarum naſi rebellia, & valde ſuſpectæ originis, Opio dato ad meliorem notam ſe recepiſſe, ita tamen ut in ægrota una malum reſpuerit plenariam ſanationem, donec Opio jungeretur Mercurius dulcis.

VIDIT virum, cui, poſt rite debellatas exoſtoſes, anno præterlapſo foediſſimum pharyngis ulcus ſuccrevit, Opio largis doſibus propinato feliciter cum ſanitate reconciliatum.

VIDIT denique mulierem carcinomate aperto mammæ & intumeſcentia glandularum axillarium ejusdem lateris ita adfectam, ut de ejus ſanatione plane deſperandum eſſe videretur, *Opio liberali* manu porrecto mirum in modum levatam, quinimo lætæ convaleſcentiæ proximam, carcinomate jam in ulcus bonæ notæ verſo & glandulis detumeſcentibus.


EXPERIMENTUM imitatus eſt SIBBERNIUS, ſed ſine ſucceſſu, in carcinomate uteri, foetidam & coeruleſcentem ſaniem fundente.

NON-

Nonnullis venereis ego quoque Opium dedi, ſed numquam ultra grana tria adſcendi, & ſemper mercurii dulcis grana bina vel terna ſubjunxi, eo cum effectu, ut curatio multo citius abſolveretur, nec ſalivatio accederet, niſi ſudore ſuppreſſo vel alvo conſtipata.

Unus ex his ægrotis, qui jam ſemel hydrargyroſin paſſus erat, cui virus in corpore hoſpitabat, quocumque demum modo ab hoc liberari deſiderabat, ultra unciam mercurii dulcis ſumſit, ſalivationem tamen feliciter effugiebat, quamdiu alvus erat libera, cujus conſtipatione remota removebatur ſimul ptyaliſmus.

Nonnulli ex ægrotis, tum Cl. Sibbernii, tum meis, poſt morbum ſuperatum efflorefcentia quadam cutanea laborant, quæ tamen nil niſi ſequela perpetui ſudoris eſſe videtur.



XXXVII.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS CUM AQUA MISCIBILIS.

Auctore ANDREA JOANNE RETZIO,

Philos. Magistr. Hist. natur. adjunct. & Botanic. Demonstrator. ad Reg. academ. Lundensem Reg. Soc. Scient. Holmiens. & Reg. med. Haun. membro.

CAMPHORA, materia illa singularis, quam a concretis in variis Plantarum Europaearum Oleis Essentialibus ejus nomine insignitis probe distingvendam puto, ut in plurimis cum Resinis proprie sic dictis convenit, in reliquis autem discrepat, (cfr. *Proleg. nostra in Pharmacol. R. Veget. Lipsiæ* 1783. 8*vo.*) sic illam Resinæ qualitatem habet, quod in Spiritu Vini, etiam debiliori, proinde dissolvatur, & solutionem ne minimum quidem coloratam sistat. Hæc vero, more solutionum Resinarum, ab aqua & aquosis turbatur, ac solutam Camphoram dimittit. Impossibilis itaque habita fuit Camphoræ in epithemate aquoso applicatio.

tio, nisi in mucilagine quadam soluta; quæ methodus tamen contraindicantibus premitur difficultatibus. Sæpius equidem vidi Chirurgos, miscelam e Spiritu vini camphorato & aqua Calcis præscribere, verum etiam vidi, quod fieri deberet, Camphoram in ejusmodi mixtura præcipitari, unde inæquabilis distributio, nec non inæqualis effectus necesse sequi debeant.

Meum non est disquirere, an in omni casu, ubi humida Camphoræ externa applicatio proficua sit, Spiritus vini camphoratus merus adhiberi possit nec ne. Id illis quorum interest relinquo. Plane autem inutile non credo Medicis Practicis & Chirurgis fore, si methodum proponam, quam casu me didicisse fateor, parandi *Spiritum Vini Camphoratum cum aqua sine præcipitatione miscibilem.* Vobis, Collegæ Honoratissimi, dijudicandum relinquo, quem usum in Praxi habeat.

In Collegio privato, super Prolegomena supra citata habito, Camphoræ indolem explicare studens, portionem ejus in acidi Vitrioli concentrati sufficiente quantitate dissolvi. Solutionem fusco-nigricantem obtinui, olei pinguis consisten-

tiam habentem. Huic juſtam aquæ fontanæ frigidæ quantitatem affudi, unde promte præpitabatur Camphora. Hanc ope chartæ emporeticæ ſine ulla ablutione ſeparavi, & mox in Spiritu vini rectificato diſſolvi, ut Camphoræ ab acido vitrioli haud mutatam indolem Auditoribus oſtenderem. Verum enim vero, plane mihi *inexſpectatum* effectum videbam, quum hunc Spiritum cum aqua miſcerem. Levia enim præcipitationis ſigna ſeſe offerebant, quæ autem mox evaneſcebant, & mixtura haud turbabatur, quanta quoque aquæ portio addebatur. Additione autem nonnihil aquæ Alcali vel fixo vel volatili inquinatæ, mox præcipitabatur Camphora, unde facilis erat concluſio effectum ab acidi Camphoram adhærentis portiuncula derivandum eſſe.

Ideo quoque aliam portionem Camphoræ ab Oleo Vitrioli per aquam ſeparatæ cum aqua alcali inquinata ablui, aliam vero cum aqua Calcis. Utraque hæc in Vini ſpiritu ſoluta more ſolito ſe gerebat, quum aqua ei affunderetur.

Ut denique viderem, an conſtans eſſet hæc unio inter Spiritum Vini Camphoratum acidulatum

tum & aquam, portionem hujus miſcelæ in vitro papyro leviter tecto, per tres menſes reliqui, & adhuc odorem ac ſaporem camphoratum, licet debiliorem, cum pelluciditate ne minimum mutata vel turbata optime retinet.

Si vero Aqua Calcis loco aquæ communis adhibeatur, mox ſecedit Camphora ſimul cum Selenite generato.

Aliæ quamquam occupationes mihi tempus non ſuppetierunt experimenta, pro votis perſequi, tamen Camphoræ per acidum Nitri ſolutionem quoque tentavi.

Camphoram ab acido Nitri generoſo in Oleum ſupernatans diſſolvi, nota eſt res, uti etiam quod Oleum hocce ab acido adhærente corroſivum fiat.

Paravi itaque ejusmodi Oleum Camphoræ, cui aquam affudi, unde Camphora in grumos cohærens ſeparabatur. Ex Camphora hac ſeparata Spiritum Camphoratum præparavi cum Vini ſpiritu rectificato.

Spiritus hic Camphoratus nitratus cum aqua fontana miſtus eodem modo ſe geſſit ac vitriolatus.

tus. Cum multa aqua dilutus & Syrupo Violarum remixtus purpureo-coeruleum, minime autem rubrum colorem dedit. Charta vero ſucco Heliotropii tincta exinde rubebat. Parca itaque ut ea acidi Nitri pars ſit, quæ Camphoræ adhæret, ſequitur.

Quando in Spiritu Camphorato nitrato aqua Calcis inſtillatur, præcipitatio oritur, ſed ex pauxilla Spiritus Vini haud rectificati portione iterum omne præcipitatum ſolvitur. Hocce periculum cum Spiritu Camphorato vitriolato quando ad manus mihi eſſet ejus copia, inſtituere neglexi. Si vero nullum ſpiritum adderem, ſed tantum baculo mixturam agitarem, iterum evaneſcebat omne præcipitatum, præter particulas nonnullas tenues & pulverulentas. Mixturam hanc per chartam emporeticam filtratam odore & ſapore Camphoræ egregie inſtructam obſervavi, ita ut dubius ſum, an particulæ præcipitatæ ſuam debebant originem Camphoræ vel Calci.

Varia omnino reſtant experimenta, quæ occaſione dictorum inſtitui potuiſſent; v. gr. ſolvendi Camphoram immediate in Spiritu Vini rectificato

tificato acidulato &c. experiundi an Acidum Salis eo modo quidquam valeret & sic porro. Sed defecit mihi opportunum tempus, quare satis mihi erit hac vice ansam aliis suppeditasse.

XXXVIII.

DE GRAVIDITATE MIXTA OBSERVATIO,

OBSERVANTE

CHR. JAC. THEOPH. DE MEZA,

M. D. & Soc. Membro Extraord.

Die 14 Octobris anni præterlapſi matutinis horis ab ampliſſimo Profeſſore Saxtorph, præceptore atque fautore ad cineres colendo, apud mulierem ternæ prolis naturaliter enatæ matrem, nunquam abortum paſſam, jam per biduum partus doloribus laborantem, per tempusque 14 dierum hæmorrhagiæ, jam ceſſanti evaneſcentive, jam iterum accedenti, parva licet quantitate, ſubjectam, miſſus fui.

Ex ſymptomatibus concludens placentam in orificii uteri regionis vicinia eſſe, ſecundum artis regulas exploro; digitisque explorantibus corpus occurrit craſſum denſumque nec capiti infantis

ſimile,

ſimile, nec placentæ æmulum, totumque Lumen Colli uteri replens eique contiguum.

Tentaminibus variis ulterioris digitorum aſcenſionis ſæpe repetitis, at incaſſum fruſtraque tentatis, in commodiorem ſitum ſuper ſellam parturientibus deſtinatam poſui parturientem, hæmorrhagia, doloribusque partus ſemper auctis laborantem, nihilominus impoſſibile mihi erat cum certitudine quid prævium eſſet prædicere.

Orificium uteri ad dimidii imperialis magnitudinem jam apertum, tenue ſed laxum & pendulum ab incipientibus partus laboribus usque ad hoc tempus nullo alio modo inventum, facile & absque dolore digitos admittebat.

Hinc parva ſenſimque aucta vi, æquivocum corpus a parietibus colli uteri, digiti indicis ope prius ſeparare tentavi & quidem cum ſucceſſu; dein vero hoc facto, alios ejusdem manus digitos inter idem & collum uteri introduxi, pedes prehendo infantis adhuc in tunicis aquæ amnii repletis incluſi, & ad axillas pedetentim haud parva difficultate extraxi. Ob extraneum vero corpus nunc ſub extractione foetus magis ſolutum, in

cavi-

cavitatemque pelvis pendulum, pro placenta ultra non habitum, brachiorum solutio difficilius quam solito modo reddebatur, & caput, quamvis haud judicandum esset foetus volumine magnum esse, nullo tamen modo, vique adhibita truncum sequebatur. Hanc ob causam melius mihi visum, anceps experiri remedium quam nullum sc. hæterogeneum illud primo e via auferre, quam incassum tentaminibus variis, vires jam fractas omnino per capitis extractionem prosternere.

Exploravi tunc adhæsionis punctum, idque non magnum spatium occupare percipiens, plena manu prehendi, & paulatim attrahendo haud parva vi solutum & separatum, per vaginam hæterocliton illud educo, & dein partus facillime succedit. Foetus vero mortuus *nullis* excitantibus ad vitam revocandus.

Descriptio corporis hæterogenei.

Tumoris figura erat oblonga, ovalis duabus extremitatibus præditus, quarum una cavitatem, altera orificium spectabat uteri.

Externa

Externa ejus ſuperficies coloris erat ſubrubri, ſtriis tenuibus ſublividis ſerpentinis donata, in eadem obſervabatur locus adhæſionis circulari figura, latitudine trium præter propter linearum tactui aſper medius inter extremitates, totam molem quaſi ambiens, totam circumferentiam vero non circumagens, cujus ope ni fallor, ad internam colli uteri ſuperficiem pro parte adnexus erat tumor. *Subſtantia* erat duplex, ſc. *externa* & *interna*, illa ad craſſitiem digitorum duorum & ultra, mere erat pinguedinoſa, pulpoſa, colore albo. *Hæc* magis profunda minus ſpatium occupans, ſolidioris conſiſtentiæ colorisque hepatici.

MUTATATIONES PER SPIRITUM VINI INDUCTÆ.

PER macerationem tumoris in ſpiritu vini nonnullæ inſurgebant mutationes. Evaneſcebat ſcil. poſt biduum *Circulus adhæſionis* & *ſtriæ ſerpentinæ Lividæ*, earumque loco nihil aliud in tota externa ſuperficie comparebat quam *membrana flocculoſa*. Laxæ cohæſionis *Subſtantia* & *volumen* etiam totius tumoris firmior & grandius facta fuere.

Rationes cur pro mola vera habendum sit æquivocum corpus.

Etsi etiam auctores ut plurimum conveniunt inter se, quod in *ovis deformibus* sive *molis veris* inveniantur rudimenta Embryonis vel collectio aquarum, in nostra vero nihil tale adfuerit, & ergo pro spuria habendum, credo tamen auctoritate cel. *Roedereri* fretus, statuentis quod ista rudimenta solummodo interdum, sed non semper reperiantur, veram fuisse molam. Nam alii tumores sive molæ spuriæ, ut plurimum originem habent a relicta placenta integra, vel placentæ frustulo vel grumis sanguinis post partum naturalem vel abortum. Sed præter, quod abortum nunquam passa fuerat foemina, semperque dextra obstetrice in puerperiis suis usa fuerat, consideranda veniunt etiam incommoda, quæ in tali casu insurgunt, ex gr. debilitas & ægritudo corporis, & teste *Roederero*, vires pedum præcipue deficiunt. Quæ vero in nostra parturiente, toto gestationis tempore omnino non adfuerant.

Neces-

Necessarium præterea eſt, ſi pro ſpuria habenda eſſet mola noſtra, quod ante conceptionem veri ovi producta fuiſſet, nam alias haud facile erit explicatu, unde acceperit materiam? Sed tunc iterum oritur quæſtio, an poſt productionem & formationem molæ, conceptio vera poſſibilis erat? Nam quomodo tumore collum uteri replente & obturante, ſemen fecundans ingredi uterum & foecundare ovulum potuiſſet? Argumenta, quæ contra meam opinionem ab atretis tamen impregnatis referri poſſunt, nihil monſtrant. Nam ſi conſideretur, quantula pars imo halitus ſpermatis ſufficit ad ovulum foecundandum, tunc facile in iſtis, atretis nempe, graviditatem a reſorptis ſeminis particulis per membranæ obturantis poros explicare licebit, qualis vero reſorptio locum habere non poteſt per tumorem ſive maſſam minus penetrabilem, uti eſt mola.

Sed ulteriores perſcrutationes honoratiſſimis membris hujus Regiæ ſocietatis relinquo, eorumque explicatio atque dogmata mihi debent eſſe Ariadneum filum in hocce Labyrintho.

Ra-

Rationes agendi modi.

Negare nequeo quod officium esset mox solvere & extrahere peregrinum corpus, nam tali modo.

1mo foetus extractionem facilius & celerius successisset.

2do adeoque ejus vita non adeo periclitaretur, quemadmodum jam factum est cum & tardius extrahebatur caput, & per pressionem tumoris in funiculo umbilicali vita diutius vacillabat.

Sed liceat mihi afferre argumenta nonnulla haud parvi uti credo, ponderis ad excusanda minus accuratiora in mea methodo.

(a) Differentia inter auctores in describendis molarum præsentiæ symptomatibus; nam a nonnullis dicitur, signa omnino convenire cum signis graviditatis genuinis, ab *aliis vero* specifica seu pathognomonica afferruntur, adde, quod confusio fiat major, si casus duplex in uno eodemque subjecto occurrit. Mirum ergo non est, si Tyro in Arte non statim a primo intuitu distinguere unum ab altero valeat.

Quod circa encheireses auferrendi talia corpora etiam inter auctores disputatur multum, nam

quod

quod laudatur ab his, culpatur ab illis. Sic Cel. *Roederer* vult, quod vel digitorum binorum ope, vel tota manu ſolvatur & extrahatur mola. Inſtrumenta vero ad hunc uſum inventa omnino uti damnoſa rejicit. E contra cl. *Plenk* & cum eo conſentiens *Deleyrie* commendat forcipem a *Levrette* inventam (pincettes a faux Germes dictam). ſed in rarioribus caſibus ſolummodo, nam cæteris paribus, omnino naturæ viribus relinquendam putant expulſionem. Libenter fateor, quod ex ultimorum ſententia, ſcil. Naturæ committendo uſum feciſſem, ni hæmorrhagia ſemper aucta, non niſique per partus abſolutionem ſiſtenda, hoc vetuiſſet.

(b) *Incertitudo qua fueram, num eſſet placenta;* nam rebus ſic ſe habentibns, metus inſurgebat majoris hæmorrhagiæ ſi eandem ulterius ſolvere conarer.

(c) *Metus disruptionis colli uteri.* Tam arcte enim erat nexus hujus hæterogenei cum collo uteri, quamvis ſpatium adhæſionis etiam parvum fuerit, ut majori vi facilé inducere potuiſſem læſionem uteri colli.

Colophonis gratia addere licet, quod ſigno graviditatis ab infimo ſegmento, cæteris paribus, petita valde dubia & æquivoca redduntur in *mixta* tali *graviditate*. Et obſtetrix foeminæ familiaris & ordinaria, exploratione in initio ultimi menſis inſtituta, nullo modo ſibi perſuadere potuit, foeminam gravidam eſſe.





XXXIX.

XXXIX.

OBSERVATIONUM MEDICO-PRACTICARUM SUBSECIVARUM DECAS.

Auctore A. B. Ranöe,

M. D. & Societatis Membro Ordinario.

I.

Symbola ad historiam catarrhi vere anni MDCCLXXXII, *hic loci epidemice grassantis.*

Mense Aprili ad finem vergente, ſub Euro vehementi ac diuturno ſubito & eodem quaſi momento innumeras fere perſonas inuadebat febris catarrhalis.

Initio Epidemia leuis ac Symptomatibus catarrhi ſolitis tantum ſtipata in plerisque ab horroribus oriebatur, quos preſſo pede ſequebantur aeſtus, cephalalgia, coryza, tuſſis cum pectore plus minus oppreſſo, pulſuque celeri pleno molli.

Diapnoica, pectoralia & aluum leniter laxantia plerisque sanitatem pristinam reddebant, rarissime tussis tantum vexabat ut ad Venæsectionem confugiendum esset. Quibusdam diarrhoea, pluribus hæmorrhagia narium optatum attulit leuamen, aliis ad diem quartum circa labia adparuit efflorescentia pustulosa cum insequenti Euphoria.

Interea indies sese longius latiusque spargebat Epidemia, fere nemini parcens, ita ut etiam hunc catarrhum multos diversis morbis chronice decumbentes invasisse observaverim. Nec amplius tam levibus omnes adgrediebatur Symptomatibus, sed graviorem, uti Epidemiæ plerumque in earum progressu solent, induebat indolem.

In quibusdam adlatis *Symptomatibus* jam sese jungebant dolores vagi extremitatum satis graves, alios vexabat lumbago, alios tussis vehemens cum sputo cruento, alios angina & alios iterum raucedo valde grauis. Haud paucos vomitus pertinax, quosdam vera invadebat pleuritis. Convalescebant tamen omnes, si unum alterumve phthisicum excipiam, sub regimine & methodo

medendi

medendi antiphlogisticis. His præter remedia pectoralia proderant Venæsectiones pro re nata repetitæ, Camphorata, kermes minerale, laxantia lenia, pediluvia sinapina: quibusdam etiam emeticum indicatum egregie conducebat.

Convalescentes vero, qui vel errorem diæteticum committebant vel aëri adhuc frigido sese justo citius exponebant, satis graves imprudentiæ luebant poenas. Sic virum vidi quadragenarium febre remittenti correptum, cujus vires fere plane exhauriebant exacerbationes nocturnæ vehementes, sub quibus simul aderat ptyalismus valde largus & molestus: Hæc vero mala decoctum corticis peruviani penitus fugabat. Alterum invasit peripneumonia levis, tres alios pleuritis camphoratis, venæsectionibus largis & dein vesicantibus cedens, licet unam horum, foeminam quinquagenariam ter recidivans corripuerit. Quibusdam febris oborta est tertiana, in una, puella juveni catarrho successit dolor periodicus in regione tam supra quam infraorbitali lateris sinistri faciei, quotidie hora undecima ante meridiem regulariter recurrens: in hisce casibus opem solitam

& speratam tulit cortex peruvianus. Quatuor denique vidi, quos, catarrho superato, adgressa est diarrhoea cruenta cum tenesmo & vomitu pertinaci fere omnium ingestorum. Tribus horum profuerunt emeticum & dein solutio Mannæ calabrinæ cum oleo ricini americani, ac mucilaginosa: uni inflammationis magis quam saburræ symptomatibus laboranti sanitatem redidere Venæsectio, Emulsio nitrosocamphorata, epithema resolvens epigastrio admotum & dein solutio Mannæ adlata.

Per integrum Maijum continuabat hæc Epidemia inchoante Junio cessans.

II.

Continuata cum radice Gei urbani experimenta.

Contra febrem tertianam regularem in sex ægrotis ne minimam opem adtulit radix caryophyllata, licet strenue & diu satis sumta fuerit: fatendum vero est quod intermittentes, imprimis vernales anni proxime elapsi pertinaces valde fuerint, & ipso cortice peruviano saltem quantitate ejusdem alias

alias plerumque sufficienti, vix abigendæ. Quid quod in uno exemplo febri diuturnæ cortice fugatæ successit induratio hepatis satis notabilis, quam tamen Decoctum radicum graminis & Taraxaci saturatum brevi dispulit.

NEC hecticis speratum procurabat Geum levamen, nec febrem nec sudores fugabat, at in febre catarrhali cum exacerbationibus evidentibus juvabat.

QUIBUSDAM hystericis, quarum unam inter alios affectus spasmodicos Ischuria vexabat, egregie conduxit hæc radix: plures nullam inde expertæ sunt utilitatem: una immediate post quamlibet dosin oriri ardorem abdominis molestissimum contendebat: fere omnes alvum post ejus usum segniorem querebantur.

RECONVALESCENTIBUS post febres continuas biliosas & putridas valde profuit: imprimis in virgine colica, dubiæ indolis, jam inflammatoria jam spasmodica decumbente, inflammatione debellata, pulcrum inde observavi effectum.

HÆMORRHAGIAM uteri modicam fugavit, contra album vero fluorem apud tres ægrotas nil valuit.

In forma pulveris, essentiæ & Decocti hoc remedium propinavi, ita tamen ut cum aqua tantum ebulliverit, ne nimium principii ejus aromatici sub coctione protracta avolaret.

III.

Leucorrhoea enormis.

Fluorem album in foemina quadragenaria largissimum, diuturnum, excoriantem, pessimum spargentem foetorem, nec ulceribus, nec cancro nec causæ syphilliticæ originem debentem, nec optimis roborantibus internis nec aquæ frigidæ cedentem, tandem penitus sustulit infusum corticis peruviani ex aqua calcis frigida aliquoties per diem in uterum injectum.

IV.

Ptyalismus lochiorum vicarius.

In puerpera, cui lochia statim post partum perfecte naturalem deerant, ptyalismum largum per quatuordecim dies durantem, quem dein camphorata,

rata,

rata, laxantia, pediluvia repetita ſiſtebant, obſervavi. Nullis aphthis, quas apud alias puerperas ptyalismo vexatas inueni, laborabat hæc ægra, cui nulla redibant lochia, at ſublato hoc incommodo tantum debilitas aliqualis reſtabat, roborantibus brevi fugata.

V.

Epilepſia floribus Zinci ſedata.

Post laxans puero decenni, haud epileptico, ſcopo vermifugo datum, quodque modicum tantum exſerebat effectum, oriebatur epilepſia irregulariter recurrens, quæ optimis quibusvis contra hunc affectum laudatis pharmacis reſiſtens, floribus Zinci ad granum unum ter quotidie porrectis cedebat, nec poſtea, quantum novi, revertebatur.

VI.

Febris rheumatica diarrhoea ſoluta.

Raro per diarrhoeam judicantur febres veræ rheumaticæ, dubiumque ſemper initio eſt an bona

an mala dicenda sit hæc evacuatio, utpote quæ vel pro causa introversionis materiæ morbificæ ad intestina vel pro effectu ejusdem æque bene ac pro bona crisi haberi potest. Hinc etiam derivantibus fortissimis vel præcauere student medentes, ne intestina vel alias partes nobiliores petat materia rheumatica, vel retrogressam ad pristinam sedem revocare moliuntur: Huic vero conatui non semper respondet faustissimus licet eventus. Sic in homine quinquagenario per octo dies febre rheumatica cum doloribus crurum vehementibus decumbente, subito evanescentibus his doloribus oriebatur cephalalgia dirissima. Ilico secatur vena, propinantur Camphorata & suris admoventur vesicatoria, at vix ardorem cutis sub vesicantibus ante sentit æger, quam *diarrhoea larga levatoria* prorumpit, sub qua per aliquot dies continuante penitus convaluit.

VII.

Menostasia diuturna.

Fluxum catameniorum suppressum sæpe sub usu succi herbarum antiscorbuticarum recentium expressi,

pressi, restitutum vidi: & menstrua, quæ per quatuor annos puellæ adultæ deerant, emmenagogis decantatissimis frustra tentatis, revocauit succus herbæ & radicis Taraxaci, ad uncias quatuor per aliquot hebdomades omni mane absorptus: nec postea jam per tres annos virgini absuit hic fluxus statis temporibus regulariter recurrens.

VIII.

Aphonia spasmodica.

Hystericæ haud raro post paroxysmos vehementiores aphonia afficiuntur, jam brevi transeunte, jam longius durante, talem aphoniam aliquot horarum emeticum sustulisse vidi, & in duabus aliis ægrotis, quas per tria nycthemera post insultum epilepticum gravissimum, præter loquendi impotentiam, admodum vexaverat metus periturae semper loquelæ, vesicatorio circa collum adplicito abegi.

IX.

Peripneumonia fonticulis sanata.

Inter plura mala, quæ ab ulceribus antiquis consolidatis orta vidi, bis gravissimam peripneumoniam

niam obſervavi, venæſectionibus largiſſimis repetitis cæteriſque remediis maxime convenientibus haud domabilem, at fonticulis crurum rite ſuppuriantibus ilico cedentem.

X.

Singultus hyſtericus.

INTER tædioſiſſima & pertinaciſſima Hyſteriæ ſymptomata eminet ſingultus, quem plus ſimplici vice per integros dies quid quod hebdomades durantem obſervavi. Talem omnibus remediis, ſpecifico ipſi moſcho immorigerum ſingultum tinctura nucis vomicæ ſedavit.



XI.

XL.

VIM ANT'ARTHRITICAM TRIFOLII FIBRINI EXEMPLIS SOLEMNIBUS CONFIRMATAM NARRAT

ARN. NIC. AASHEIM,

M. D. & Profeff. Publ. Defign. Societat. Membr. Ord.

RURI degens vocor D. 8 Julii An. 1776 ad Rufticum, 39 annos natum, per integrum biennium lecto affixum. Doloribus arthriticis vagis modicis a prima fere infantia obnoxius vixerat ad annum fuæ ætatis 37, quo morbi pertoefus exacerbati adeo, ut officiis ruralibus folitis vix amplius fungi poffet, agyrtam confulit ruri vagantem: Offert hic, uti fando accepi, Liquorem fpirituofum, locis dolentibus larga manu inungendum, morbumque miraculi ad inftar, uti tanto femper hiatu promittit id genus hominum, fugaturum.

LIQUOREM propinatum extremitatibus ftrenue inunxit nofter: Subfecuta autem brachiorum,

ma-

manuum, femorum, crurum, & pedum immobilitas successiva ægrum affigebat lecto. Decumbens dolores atrocissimos corporis totius tulerat miser: Accesserant tumores ad articulos plerosque, & ultimo ante meum adventum semestri spatio, aridura brachii, manus & cruris sinistri.

INVENIO ægrum in lecto supinum, omnino immobilem, cachecticum, ob dolores atrocissimos ejulantem, digitos manuum omnes, præter pollices, introflexos, brachium, manum & crus sinistrum vix ad dimidium lateris dextri volumen respondens, ægrum vestimentis pelleis & pulvinaribus plumeis sub æstate fervidissima fere sepultum, fenestrasque & januas, & levissimas spatioli, quo includebatur, rimas pannis occlusas, quo omni studio mephiticus contineretur aër. Ad reliqua mala accesserat ultimo bimestri spatio scorbutus: Dentes deciduæ erant: Gingivæ putridæ, cruentæ, exulceratæ, foetidissimæ: Crura ad adspectum livida, & sugillationes lividæ, latæ, per omnem corporis ambitum sparsæ, cernebantur: Color faciei plumbeus: Oculi concavi: Pulsus debilis, frequens, irregularis: Alvus sublaxa: Mors Ostia pulsans.

RES

Res angusta domi sumptuosis obstabat remediis, domusque ægri ipsa a Pharmacopoliis dissitissima liberalitati Feudæ obstabat. Postquam diu aqua mihi hæserat dubio, in memoriam venit visa palus juxta terminum vici, in quo habitabat æger, herba Trifolii fibrini larga oblita. Mihi succurrit insimul vis ant'arthritica & roborans hujus herbæ, pollice utroque laudata per Summum Bartholinum & Coætaneos in *Actis Med. & Philosoph. Hafniens.* seculi relapsi.

Succum igitur hujus herbæ expressum ad 2 vel 3 excipula, qualibus pro sorbendo Decocto Coffeæ utuntur, indies hauriendum, ægro commendo, jubeoque, ut foras positus aëre libero frueretur æger. Lapsis aliquot diebus, & omnibus eventum faustum promittentibus, augeo indies dosin Succi expressi, usque donec 6 patellarum volumen deglutiebat de die, suadeoque, ut lacte ebutyrato pro potu ordinario uteretur.

His remediis non sola fugabatur scorbutus, sed adveniens ego, sub initium mensis Sextilis, ægrum video obambulantem, baculo fultum.

Die

Die 21 Augusti Succum Trifol. fibrini express. mittere cogebatur æger ob ventriculum rebellum: Lætabamur autem ægrum nostrum usque adeo restitutum, ut solus iter unius miliaris pedibus conficeret, ut brachia & manus bene satis ubique movere potens esset, ut dolores siluissent, ut color faciei, ut alacritas mentis rediissent, & muniis consuetis successive obire posset. Aridura disparuit paulatim, sed digiti manuum, præsertim medius, auricularis & annularis manus sinistræ, adhuc rigidi erant, incurvati & immobiles. Attamen sub exercitio corporis jugo, sed assiduo, ope frictionum & urticationum, meliores & mobiliores facti sunt.

Versus autumnum æger, si dictos digitos excipias, omnino restitutus erat.

Ineunte bruma leves dolores redierunt, cum rigiditate aliquali manus & pedis sinistri. Opposui his malis Extractum Aconiti, sed frustra.

Vernante Anni 1777 tempestate autem reiterandum suasi Succ. Hb. Trifol. fibrin. express. & hujus ope adeo increvit valetudo ægri, ut dolores fugarentur penitus, rigiditates manus & pedis

siluerint,

ſiluerint, & digiti incurvati admitterent extenſionem, quæ operibus ruſticis perficiendis ſufficeret.

Inde ab eo tempore ad hunc usque diem perfecte ſanus vixit noſter. Nullum omnino in toto corpore cernere licet veſtigium morbi antehac perpeſſi, ſi 3 digitos manus ſiniſtræ, adhuc difficulter mobiles, exceperis.

Proprio fato edoctus noſter ruſticis compluribus vicinis & confinibus, arthriticis, ſuccos Hb. Trifol. fibrin. expreſſos commendavit, & plurimi horum, ſumptis his, levamen malorum perceperunt.

Iterum media circiter æſtate Ann. 1782 ad me ruri degentem, adportatur ruſticus, arthritidem vagam per aliquot annos paſſus, non gravem, antequam circa vernalia ejusdem anni tempora catarrho corriperetur epidemico vilioris primum habito, & deinde methodo plane ruſtica ſexcentis quisquiliis tractato: Inde ab eo tempore ſenſim increverat arthritis, demum circa malleolos cruris dextri ſedem figens: Vicini ruſtici, & advocatæ vetulæ, conveniunt pedem luxatum eſſe, miſerumque artibus male ſedulis quibusque cruciant,

 demum

demum cataplasmatibus variis tractant, usque donec crus & pes tumidissima, ruberrima omnem impediunt motum, & dolores atrocissimi somnum, appetitum & vires fugant.

Nullam ex prolixa ægri narratione veræ luxationis præsentiam probabilem suspicare valens, sed omnibus potius, prægressis & præsentibus, symptomatibus pro arthritide stantibus, suasi succum Hb. Trifolii fibrini recentis expressum ad 4 excipula thealia indies hauriendum: Octiduo post læta advenit ægri uxor narratura maritum longe meliorem esse, noctes agere tranquilliores, scipione fultum paululum circumclaudicare domi, tumorem & ruborem cruris atque pedis minui paulatim.

His auditis augendam jubeo succi expressi dosin usque donec 6 patellas indies consummeret.

Hanc succi quantitatem fere ad æquinoctialia autumni tempora usque hausit quotidie æger, nisi quod bis aut ter alvum *Pilulis catarrhal. purg.* laxaret: Mobilitas articuli de die in diem facilior, minusque dolorosa fiebat: Tumor ruborque partis affectæ sensim disparebant: Æger misso sus-

sten-

ſtentaculo ambulabat ſolus, equum conſcendebat, equitabat: Tandem claudicatio magis magisque decrevit, & demum diſparuit perfecte: Verbo: Qui paucis ante ſeptimanis lecto proſtratus miſer ſua fata futura deploraverat ruſticus, jam, ſanorum ad inſtar, ſuam meſſem colligebat per agros vagatus, operibusque ruſticis quibusque absque incommodo vacabat, nec ulla ſervabat morbi perpeſſi veſtigia, præter ſenſum dolorificum fugacem levem malleolorum cruris dextri ſub inſtante aëre nubilo ventoſo.

Alter ruſticus robuſtus atque quadratus, poſt fluxum catarrhalem epidemicum vernalem, peſſime tractatum, dolores tulit arthriticos, atroces, remediis externis ad encephalum pectus & inteſtina fugatos: meum eodem circiter tempore implorat auxilium vertiginoſus, fere caducus, ex anguſto pectore alta ſuſpiria trahens, nec cibos appetens, neque digerens, vomituritione dira frequenti preſſus, ſenſillimis immi ventris & hypochondrii ſiniſtri doloribus cruciatus.

Ivi his malis obviam per præparata antimonialia varia, extractum ligni Sancti largum, & veſi-

catoria, nec ſine effectu, parvo quidem, attamen non ſpernendo: Demum miſſis his ſubſtitui ſuccum Trifolii fibrini expreſſum, qui vertiginem, ſpirandi difficultatem & dolores immi ventris ſuſtulit, renovatis ad articulos, crurum præcipue, doloribus, Trifolio fibrino non domandis perfecte.

NEC novæ ſunt hæ obſervationes, dum a longis retro temporibus inclaruit vis antarthritica Hbæ Trifolii fibrini, nec egent longæ orationis: Confirmata virtus plantæ, vile, quo in Pharmacopoliis venit, pretium, magna ejusdem in locis paludoſis ruralibus frequentia, *vindicant* eandem exiſtimationi Medicorum & Civium, etjam pauperrimorum. Aliud eſt vitæ genus rurale, urbanum aliud: Perſæpe effectus remediorum, ruſticis datorum, longe alius eſt illo, quem in urbicolis cernimus: Expertus hæc loquor, tacentibus licet Scriptoribus Materiæ Medicæ, quantum ſcio, omnibus: Experiantur igitur, quibus commodæ

effe-

offerantur occaſiones, vim ſucci Trifolii fibrini expreſſi in arthriticis urbicolis: A reſtitutione ruſtici ad futuram reconvaleſcentiam certam urbicolæ, ſimili malo preſſi, ejusdem pharmaci ope, vix ubique concluditur tuto.





XLI.

ALIQUID AD PHYSIOLOGIAM MUSCULORUM PERTINENS.

Auctore P. C. Abildgaard,

M. D. Artis Veterinar. Prof. Societ. Membro Ordinario.

Multiplicia licet phoenomena, vim musculorum contractilem fibris insitam esse carneis demonstrare videntur, ut hæc theoria extra dubium posita videretur, varia tamen in animalibus observandi phoenomena occasionem præbuerunt præsentes in Zootomia labores, quæ mihi, invito quasi, dubia de accepta doctrina dederunt; multaque in mirando musculari mechanismo subtiliori anatomico & physiologico illustranda indagandaque superesse credo.

Huic sententiæ ansam dederunt sequentes observatiunculæ, quas eo proponam ordine, quo mihi diversa occasione diversoque tempore sese præbuerunt; Scintillulas forsan dare possunt majori

jori

jori futuro lumini in obſcuro Labyrintho ubi tanti labores tantæque vigiliæ ſummorum virorum tenebras crepuſculo mutarunt. Obſervata & inde nata mihi dubia narrans ſagacioris ingenii artis cultoribus judicandum relinquo, quantam mereant attentionem. Hæc ſunto.

Observatio I.

Anatomicis notum eſt, muſculum quemcunque in naturali ſitu tela celluloſa & vagina aponeurotica tectum, ſi manibus trahitur, nullum vel prorſus obſcurum motum efficere in articulo, ceteroquin in vivo animali mobiliſſimo. Vidi majorem vel minorem hanc immobilitatem ſemper reſpondere minori vel majori laxitati celluloſæ vaginalis muſculum cingentis.

Obseravatio II.

Si muſculus denudatur ab omni cingente celluloſa tela usque ad dimidium longitudinis, ita ut muſculus a puncto ipſius fixo usque ad dictam mediam partem, tunc trahendo muſculum majorem

ſed imperfectum tamen articuli, vel partis mobilis motum efficit.

Observatio III.

Si muſculus per totam longitudinem & ſuperficiem a celluloſa liberatur perfectiſſimus trahendo efficitur motus, vel flexio articuli. Hoc evidentius obſervatur in muſculis longis ſolitariis nullis aliis muſculis conjunctis. Talis muſculus invenitur in Equo, multas ob cauſas his obſervationibus aptiſſimo, ſc. muſculi elevatores labii ſuperioris, qui oſſi maxallari ad marginem inferiorem oſſium lacrymalium infixi ad pedis longitudinem deſcendunt ſolitarii per longitudinem oſſorum naſi ad quorum apices tendinei facti decurrunt ad medium labii ſuperioris, in cujus ſubſtantiam inſeruntur.

Observatio IV.

Si muſculi equorum vel aliorum animalium, evacuando per arteriam ſanguine, occiſorum & tunc ſemper inter convulſiones exſpirantium examinantur, articuli & membra omnia inveniuntur rigidiſſima & ad maximam vim inflexibilia, & illorum

rum tunica cellulosa tam rigida & tensa est, ut scalpello transcisa vi rumpitur; ablata vero hac tunica molles & laxi mox reperiuntur musculi.

Observatio V.

Si in nuperrime exstincto cadavere, ubi muscularium fibrarum irritabilitas adhuc superest, cellulosa musculum tegens tunica transversim supra musculum scinditur, illæsis etiam fibris carneis, tunc in hac incisione tumet musculi pars carnea, & tumentes ejus fibræ Zonam sive cestum infarctum ad formam funiculi vel fili carnei in dicta incisione constituunt.

Observatio VI.

In violentis musculorum actionibus, quas exercet eqvus, magnam & ponderosam trahendo molem, aut dum coactus sese defendit animal; haud raro accidit, ut rumpantur musculi; in hoc casu obductione invenimus aut tunicas musculorum aponeuroticas solummodo in parte disruptas, & disruptum tunicæ fasciculum retractum forma spirali, omnibus fibris carneis integerrimis; aut si extensio fuit violentior, ut totus musculus disrup-

tus fuerit, tunc non invenimus partem musculi carneam disruptam, sed solummodo illius tunicam cellusosam vaginæ forma ruptam atque retractam, & tota musculi pars carnea integra ab omni cellulosa perfecte denudata.

Observatio VII.

Cum in animali nuperrime mortuo irritabiles adhuc musculos ab omni cellulosa liberavi, nullo irritamento mechanico denudatas fibras carneas ad contractionem excitare potui, irritamento vero chymico præcipue humido in substantiam musculi penetrante succedit sensibilis musculi contractio.

Observatio VIII.

Notissimum est animalia, quibus robustissima & expeditissima est vis muscularis, non quidem robustissimos & maximos habere musculos carneos; cellolusam vero musculorum & tunicam sic dictam aponeuroticam ipsis esse fortissimam multamque, ut in felibus, Leporibus, Tauro, Leone, avibus rapacibus. In Ove, Sue, Avibus domesticis e contrario multum carnis mollioris & paucam cellulosam invenimus.

Obser-

OBSERVATIO IX.


PULLUM equinum unius anni per quinque dies semi-unciam opii thebaici bis per nycthemerum deglutire coegi, ut hujus medicaminis, vel si mavis veneni effectum in hoc animale cognoscerem. Primo die ad vesperam, quatuor scilicet horas post deglutitam alteram semiunciam ebrium quasi & vesanum inveni animal oppressam & lentam habens Respirationem, quæ tamen symptomata sequente die cessarunt — parcius quam antea tamen nutrimentum appetiit — & coeteris diebus sub usu opii stupidum fuit & pigrum. Sexta die secta carotide exspiravit animal tranquille & absque convulsionibus solitis in animalibus evacuatione sanguinis extinctis.

APERTO cadavere omnem inveni cellulosam & tunicas musculorum laxissimas & molles, ipsosque musculos flaccidissimos & quasi coctos. In abdomine substantia ventriculi & intestinorum excepta externa horum viscerum tunica, laxissima & quasi soluta inveniebatur, ut facillime tactu dilacerarentur, totum vero peritoneum, pleura, pulmones, coeteraque viscera firmitatem habebant naturalem.

Si

Si his addimus notam uteri violentissimam vim contractilem licet paucissimæ sint hujus visceris fibræ musculosam speciem præbentes; Vesicæ urinariæ, Scroti aliarumque partium vim contractilem, verisimillimum videtur, cellulosam haud minimam in mechanismo motus animalis partem agere. Objectiones quidem quas a cordis, fortissimi musculi, substantia carnosa & pauca cellulosa, facere possumus, haud taceam; attentionem tamen mereri videtur quod hujus visceris fibræ carneæ tenaciore vel rigidiore licet subtiliore cellulosa quam aliorum corporis musculorum unitæ sint.

Dubia nihilominus, quæ ex paucissimis & imperfectis hisce observatis nasci videntur ulterioribus observationibus & tentaminibus ad certitudinem & evidentiam majorem labore & subtiliore indagatione peritorum sagaciorumque in arte Virorum redigi posse, credo.



XLII.

XLII.

CASUS MEDICO LEGALIS.

Auctore ABILDGAARD.

Rusticus *Andreas Laurentii* quinquaginta circiter annos natus in villa *Herlöw* territorii metropolitani ad diem decimam nonam Mensis Augusti præteriti h. a. moritur, postquam eadem Die ad adstantes & amicos de vehementi pectoris dolore questus, quem dolorem conculcationibus & verberibus, quibus ab alio rustico nocte prægressa' cæsus erat & in terram conjectus, tribuebat, ipseque ante mortem confitebatur se statim ab acceptis plagis lectum recepisse summaque gravitate capitis laborasse. Testes illum hac nocte fuisse ebrium declararunt sub fide juramenti; nullus vero viderat illum percussum fuisse, nulli testes conflictionis prædictæ. Referebant etiam testes, illum ipso mortis die multum Spiritus frumenti & cerevisiæ ad vires excitandas bibisse.

Ratione moribundi hujus effati postulat Judex loci cadaveris obductionem, quæ sequentia monstrabat.

Corpus omnino ab omni læsione & signis violentiæ illatæ externe liberum, cutim solummodo

ad Capitis latus dextrum, a parte ſuperiore temporum ad partem inferiorem auriculæ ruberrimam, quo colore etiam obducta erat tota fere ſuperficies dorſi, ubi quoque tumor ſub cute aderat lævis, nullus vero ſanguis aut cruor ablata cute videbatur in celluloſa, ſuffuſus vel extravaſatus. Color ſanguineus tantum obridebat inter cutem & epidermidem tumorque in dorſo emphyſematodes erat.

Cranii integumentis ablatis nullus comparebat ſanguis extravaſatus & cranium ipſum illæſum erat. Hoc autem aperto, Vaſa meningum & cerebri ſanguine inveniebantur valde turgida & diſtenta, ita ut pia mater tota eſſet ruberrima. In ventriculis cerebri reperiebatur circa ſesquiuncia ſeri limpidi. Sed extravaſatum ſanguinis nullum ſub cranio aut in Encephalo.

Amotis Integumentis communibus & muſculis thoracis partem anteriorem tegentibus, inveniebatur, ad latus dextrum ſub muſculo pectorrali majore ſuper coſtam quartam parum ſanguinis extravaſati in contextâ celluloſa. Hæc eadem coſta fracta erat ad latitudinem trium digitorum a connexione cum ſterno. Elevato autem ſterno, 2da, 3tia, 4ta, 5taque coſtarum verarum lateris dextri duobus in locis fractæ reperiebantur; prima nempe fractura antrorſum in diſtantia duorum vel trium pollicum ab initio partis cartilagineæ, ſecundo

cunda retrorſum ad mediam longitudinis coſtarum partem. Sexta coſta unam tantum habebat fracturam retrorſum ad pollicis diſtantiam ab ejusdem articulatione cum ſpina. Circumcirca has fracturas parum ſanguinis extravaſati latebat ſub pleura illæſa. Utriusque pulmonis ſubſtantia, præcipueque dextri valde ſicca erat ac colore ſubfuſco maculisque e fuſco magis albicantibus ſuffuſa. Pulmo dexter accretus erat pleuræ ad ſpatium novem quadratos pollices circiter; ſed in loco hujus accretionis intra anteriorem & poſteriorem fracturam coſtarum ſitæ nullus ſub pleura extravaſatus latebat cruor. Nec in cavo pectoris evacuatus aderat ſanguis.

Omnia in abdomine contenta illæſa & in ſtatu naturali reperiebantur.

E comperto cerebri ſtatu nec non a rubris corporis maculis judicavi:

1mo. Hominem noſtrum necatum fuiſſe inſultu apoplectico, illam vero apoplexiam non neceſſarie conſectariam fuiſſe læſionum in coſtis & thorace repertarum. Fracturas tamen coſtarum vi factas eſſe & ictibus, percuſſionibus vel lapſu ad corpus durum, vivente adhuc homine, nec poſt mortem factas eſſe transferendo cadavere e lecto ſuper aſſerem in quo jam poſitum erat. Quia circa unamquamque, fracturam plus minusve ſanguinis extravaſati reperiebatur.

2do

2do. Commemoratas fracturas nullo modo pro insanabiles haberi, attamen valde periculosas.

3tio. Demortui ebrietatem eodem die, quo his læsionibus passus erat, nec non cervisiam & spiritum frumenti ipso mortis die epotum, malamque pulmonum constitutionem sine dubio anamnesin & effectum morbi pectoris antea superati, tot causas secundarias esse morti apoplecticæ, quæ tamen oportuna venæ sectione aliaque justa tractatione medica præcaveri potuisset.

4to. An vero quantumque memoratæ costarum læsiones ad mortem contribuerint nulla certiore modo determinari posse.

5to. Violentos quidem ictus ad thoracem & pectoris pressiones originem præbere majori vel minori sanguinis subitaneæ congestioni ad Encephalum, præsertim in subjecto malis respirationis organis donato, prætereaque non solum ebrioso sed tunc temporis ebrio & hanc congestionem apoplexiam facile producere posse, extra dubium esse, an vero in hoc casu sic res se habuerit, an illatæ læsiones per accidens fuerint causa mortis, absolute & certe dijudicari non posse.

ERRATA.

Pag. 1.	Lin. 6.	Pro 1781	Lege: 1780
— 26.	— 6.	- Archiater	lege: Archiatrum
— 27.	— 8.	- commentitiis	lege: commentis
— 29.	— 3.	- minuendum	lege: minuendam
— -	— 9.	- irritabilitati	lege: irritationi
— 30.	— 4.	- phtisi	lege: phthisi
— 37.	— 6.	- cathorticum	lege: catharticum
— -	— 12.	- viribus	lege: vicibus
— 39.	— 8.	- mucilaginoso	lege: mucilaginosa
— 78.	— 2.	- querere	lege: quærere
— -	— 4.	- ipsis	lege: ipsi
— -	— 17.	- ut	lege: ne
— 79.	— 15.	- commisurus	lege: commissurus
— 107.	— 4.	- prima	lege: primo
— 120.	— 4.	- quidam	lege: quædam
— -	— 17.	- nihil non	lege: nihil
— 121.	— 3.	- exstingvisse	lege: exstinxisse
— 122.	— 7.	- reperirer	lege: reperirem
— 123.	— 17.	- redundando	lege: redundaturo
— 129.	— 11.	- reperirer	lege: reperirem
— 171.	— 17.	- peragratur	lege: peragrat
— 172.	— 8.	- domu	lege: domo
— 173.	— 7 & 8	- lassum suppositæ ibidem loci sellæ	lege: lassum sellæ
— -	— 19.	- biduæ	lege: biduanæ
— 176.	— 21.	- hæmoptosis sicca	lege: hæmoptosis
— 177.	— 21.	- partitas	lege: parvas.
— 181.	— 21.	- limes	lege: limiti
— 183.	— 18.	- systole	lege: systole
— 194.	— 10.	- hoc	lege: hac
— 195.	— 6.	- Pathologis	lege: Pathologorum
— 209.	— 1.	- 1771	lege: 1781
— 211.	— 1.	- 1771	lege: 1781
— 246.	— 4.	- sussiciens	lege: sufficiens

Pag. 247.	Lin. 7. Pr.	periodoicus	lege:	periodicus
— 257.	— 21. -	iscbiadis	lege:	ischii
— 298.	— 10. -	ferniculi	lege:	foeniculi
— 302.	— 3. -	contiuuo	lege:	continuo
— 303.	— 16. -	plurimæ	lege:	plurimi
— 304.	— 12. -	emptos	lege:	eruptos
— -	— 13. -	indugebat	lege:	indulgebat
— 305.	— 20. -	melissæ ℥viij	lege:	melissæ ℥viij
— 306.	— 15. -	antehoc	lege:	antehac
— 341.	— 11. -	submergentes	lege:	fundum petentes
— 342.	— 10. -	lævis	lege:	levis
— 343.	— 13. -	submergebant	lege:	fundum petebant
— 344.	— 1. -	lævi	lege:	levi
— -	— 4. -	partu	lege:	partum
— 351.	— 17. -	eleminaturus	lege:	eliminaturus
— 352	— 18. -	quotidiæ	lege:	quotidie
— 394	— 4. -	fallacia	lege:	efficacia
— 398	— 12. -	quam	lege:	quam quod
— -	— 13. -	poterat	lege:	posset
— -	— 14. -	dilacerabantur	lege:	dilacerarentur
— -	— 17. -	casui	lege:	casum
— 403	— 4. -	sentisceraț	lege:	senserat
— 406	— 17. -	parturientem nostram:	lege:	parturienti nostræ
— 416.	— 18. -	stragulos	lege:	stragula
— 428.	— 20. -	Præfectu	lege:	præfecto
Pag. 437 ad Pag. 441.	Lin. 1. Pr.	Retzio Spiritus *Vini* Camph. &c.	Lege:	Retzii Spiritus vini Camph. &c.
— 462.	— 12. -	pelleis	lege:	pelliceis
— 463.	— 10. -	relapsi	lege:	elapsi
— 464.	— 3. -	rebellum	lege:	rebellem
— -	— 8. -	muniis consvetis	lege:	munia consveta
— 471.	— 20. -	partem, tunc	lege:	partem ab omni cellulosa liber fit, tunc
— 472.	— 2. -	efficit	lege:	efficimus.
— 474.	— 1. -	tunc non	lege:	tunc soepissime non
— 479.	— 25. -	cadavere	lege:	cadaver
— 480.	— 2. -	pro insanabiles	lege:	insanabiles





